



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Henrici Canisi, Noviomagi J. C. Prælectiones Sev Commentariivs In Tit. XIX.  
Libri V. Decretalium De Usuris. In quo & de Antichresi & de Censibus sive  
Reditibus annuis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

HERICI CANISI,  
NOVIOMAGI J.C.  
PRÆLECTIONES SEV COMMENTARIVS  
IN TIT. XIX. LIBRI V. DECRETALIUM DE USURIS.

In quo & de Antichresi & de Censibus sive Reditibus annuis.

CAPUT PRIMUM.

Usura notio, descriptio, & quo jure usura interdicta sit.

SUMMARI A.

1. Usura notio sive etymologia.
2. Qua hodie Usura significatio, & quod discrimen inter Jus Canonicum & Civile.
3. Usuram etiam fornicus appellari, & cur.
4. Usuram duplici modo accipi.
5. De definitione Usura.
6. Usura in quo consistat.
7. Interesse duplex.
8. Andr. Gail. sententia improbat.
9. Redarguitur eorum error, qui interesse adreditum annum revocant.
10. 12. Usuram propriè committit circa mutuum, imò & in aliis contractibus.
11. Ioan. Covassi ratio rejecta.
13. Usura lucrativa & compensatoria.
14. Usura lucrativa tam in contractibus bona fidei, quam stricti juris prohibita.
15. In consequentiam sperari posse quid ex mutuo.
16. 18. Usura divino jure prohibita.
17. Consilia Evangelica non obligant.
19. Nicolai de Maria sententia improbat.
20. Item Caroli Molinæ.
21. Aleiati & D. Thoma sententia refertur de usurarum admisione.
22. Cur usura permissa fuerint Iudæis.
23. Pupillares usura prorsus sublata.
24. Usura an in ultima voluntate locum habeant, & ibidem de intellectu l. 3. §. fin. D. De annuis & mensuris legatis.
25. Auctoris sententia.
26. Usuras etiam jure naturali prohibitas esse.

27. Rejecta creditorum objectio frivola.
28. 29. & 31. Usuras & de Jure Canonico interdictas esse; sed an & de Jure Civili?
30. Usurarum species de Jure Civili.



Usura, si propriam ejus notio-  
nem spectes, dicitur cujus-  
cumque rei usus. Hac enim  
significatione locutus est Ci-  
cero in Orat. pro Cajo Rabi-  
rio Posthumo, in fine, dum  
ait: Vos obsecro, judices, ut huic  
optimo viro, quo nemo melior um-  
quam fuit, aomen Equitis Romani, & usuram hujus  
lucra, & vestrum conspectum, ne eripiasis. Et Verrinâ  
7. Cur piratis lucra usuram tam disturnam dedisti?  
Et Plautus in Amphyt. Usuramque, ait, ejus corporis  
cepis sibi. Sed & transfertur usura ad incremen-  
tum, quod provenit tamquam fructus ex usu cu-  
jusque rei Idem Cicero de Senectute: Terra num-  
quam sine usura reddit, quod recepit.

Quam significationem imitati sacri Canones,  
& leges civiles, tum utriusque Juris Interpretes,  
appellarunt usuram quidquid lucri causâ sorti,  
id est, principali debito accedit, sive id in pecu-  
nia numerata, sive in alia re consistat, xiv. quæst.  
3. per tot. cap. 1. cap. 2. & cap. Consultuit. & passim  
hoc tit. item in 6. & Clemens. eod. tit. De usuris. Nisi  
quod Jus Civile usuram magis in pecunia nu-  
merata constituat. l. Eos 26. §. 1. & passim C. De u-  
suris, & eod. tit. in vig. Papormit. in Rubr. hoc tit.  
num. 4. Alias verò res, quæ jure accessionis ve-  
niunt, in vicem usurarum accipi velint, l. Si is qui

11. Parag D De pignorib. l. Si cā lege 17. Cod. eod. tit. & Parag sancimus itaque Novell. 34. Nullum credentem agricolae &c. Verum Jus Canonicum hanc scrupulosam distinctionem Jris Civilis non admittit; quo in quavis accessione lucri peræquæ usura committitur, sicut constat ex d. cap. Consultuit, & d. q. 3 cum similib. Quod & sequuti sunt posteriores Imperatores, Maximilianus I. Carolus V. & Rudolphus II. ut infra videre est sub finem hujus tractatus.

Usura etiam Fœnus appellatur, l. Improbum fœnus 20. C. En quibus causis infam. & tit. D. & C. De nautico fœnore; eo quod usura sit velut fœtura, sive fructus pecuniæ, ut auctor est Aristoteles 1. Polit. cap. 7 & Varro apud A. Gellium. No. 1. Attic. lib. 16. cap. 12. Unde fœnerare, & fœnerari, can. 1. xix. quæst. 3. l. Qui sine 38. D. de negot. gestis & l. Vxor 14. in princ. D. de usu & usufruct. legato.

4. Ut autem hæc res explicatior sit, animadvertendam est in proposito argumento, usuras duplici modo spectari; vel pro ipsa conventionione, sive intentione usuraria, qua aliquid lucri causa paciscimur, aut saltem speramus, cap. 3. & 4. h. t. Nam hinc dicimus usurarium contractum, usurarium negotium, l. Si puvill. 6. in fine & d. d. l. Qui sine 18. in fine D. de negot. gestis. Vel pro re, quæ solvitur, vel speratur solvi ex eadem conventionione, sive intentione. Qua ratione dicantur usura solvi vel restitui, c. Cum tu 5. c. Prætoræ 7. & c. Tua 11. h. tit. cum similib. Utraque acceptio ad titulum Decretalium de usuris pertinet; licet prior tantummodò peccatum designet, altera materiam, circa quam peccatum vertitur.

5. Circa definitionem, sive potius descriptionem usuræ, variè laborant Interpretes. cum alius aliam sibi fingat, sicut latè videre est apud Felicianum de Solis Hispanum diligentissimum, in comment. de Cersib. cap. 5. Sed præ reliquis mihi probatur ea, quam refert Paporm in Rubr. h. tit. quod scilicet usura sit, quidquid sorti accedit ex pacto vel intentione præcedenti. Addendum tamen, lucri causa, quod à Panorm. ommissum est; ne id quod interest eadem definitione concludamus, de quo infra hoc cap. fusius. Quamvis & definitio Covarr. Var. Resolut. lib. 3. cap. 5. num. 5. vers. usura, & Navar. in tract. de Usur. not. 5. mihi non displiceat.

Verum Panorm. succinctior est, & rem satis explicat, fundaturque in d. c. Consultuit h. t. & in illa Christi Salvatoris nostri sententia, *Mimum*

*date, nihil in da sperantes*, Luc. 6. & quasi communi Doctorum calculo recepta videtur, teste Augustino Beroo in Rubr. de usuris num. 15. licet ipse nu. 16. eandem impugnet. Verum eam rectè vindicat Felicianus de Solis d. c. 5. num. 3. Interim nec hic imperfectam esse asserit; ideo quod occasione mutui licitè sperari possit lucrum rei spiritualis, puta meriti vel gratiæ apud Deum: item usus amicitia & benevolentia ejus, cui mutuum datum est. D. Thomas in 2, 2. quæst. 78. art. 2. in resp. Navar. d. tract. not. 5. num. 6. Addit & alteram rationem, quod in mutuo lucrum cessans & damnum emergens rectè in pactum deducatur. Sed quis non videt definitionem nostram exaudientiam esse de lucro sui natura pretio æstimabilitate Deinde, quod attinet ad lucrum cessans & damnum emergens, certum est, utrumque in pactum licitè deduci, non tamen tamquam lucrum vel damnum pecuniæ mutuo datæ; sed ex alio capite, quanti scilicet creditoris intererit, pecuniam suo tempore & loco solutam esse, ut paulò post magis explicabitur.

Quare à definitione Panormitani minime discedendo, intelligi debet per pactum quævis conventio, sive ea per stipulationem iusta sit, sive persistat in nudo pacto, l. i. in princ. D. de pact. junct. l. 3. & l. 12. & ibid. Gl. C. de usur. per intentionem verò spes lucri capiendi. Nam & sola intentione sive conceptu animi usura committitur, sicut aperte docent d. c. Consultuit, & prædicta Christi sententia, in verbis, *nihil in da sperantes*, & quod apud Ezechielem legitur cap. 18. Usuram & superabundantiam non acceperit. In quem locum Ezechielis ira Hieronymus: *Putant quidam usuram tantum esse in pecunia; quod prævidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti: Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversigenis. & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint.* Extat in Decreto Gratiani in can. Putant x. v. quæst. 1.

Itaque usura in lucri accessione consistit; & quidem rei temporalis, ut jam antè meminimus. Quo sit, ut rectè excusentur hi ab usura, qui centum vel aliam pecuniæ quantitatem idè mutuum numerant debitori suo, ut eo facilius debitum vetus extorqueant. Siquidem hac specie nullum lucrum capiunt, sed suum consequuntur, etiam si de eo pactio intercesserit, cap. 1. in fine h. t. Did. Covarr. Var. Resolut. lib. 3. c. 1. num. 2. vers. usura, &

ra, & facit textus in l. fin. d. De condit. ob turpem causam illi, qui ratione ejus quod sua interest, à debitore aliquid recipiunt, vel petunt ultra sortem; cum & hoc casu nullum lucrum sit, sed compensatio absentis lucri vel damni presentis, quod creditor sustinuit propter mutuum non perfolutum.

7 Qua de causa Dd. nostri duplex interesse (licet nobis hoc verbo in scholis & praxi recepto uti) constituunt, unum damni emergentis, alterum lucri cessantis. De utroque existant textus expressi in l. 3. §. fin. d. De eo quod certo loco, in l. Si commissa 13. d. Ratam rem haberi, in l. Cum Prator 81. d. De verb. signif. & l. unica C. De sent. qua pro eo quod interest prof. Damni emergentis; veluti si creditor, propter extractam solutionem, aliquod damnum passus sit; puta, quod corruius ejus domus propter absentem pecuniam, quâ ea restitui oportuit, vel frumentum sive alias res necessarias coactus fuit carius emere. Lucri cessantis; ut si creditor pecuniam suam negotiationi, aut emendo prædio, sive redditibus annuis destinatam, roganti mutuo dederit. Nam lucrum, quod sibi hac ratione abest vel aberit, rectè petit, vel in conventionem deducit ultra sortem. Illius hæc ratio est, quod non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. Non debet alteri 74. d. De R. I. & factum cuique suum, non alteri nocere debet, l. Factum cuique 153. d. eod. tit. Posterioris, id est, lucri cessantis ratio est, ne creditori damnosum sit suum officium in præstando mutuum, quod & similiter iniquum creditori esset, per text. in l. Sed si quis 7. d. Quomodo testamenta aperiuntur, cap. 2. sup. De fidejussorib. Sic videmus & in conductore prædii, ut, si hic factio locatoris impediatur re conductâ frui, utrumque interesse, tam lucri cessantis, quam damni emergentis, jure possidet à locatore, actione conducti, l. Si in lege 24. §. colonus & l. Si fundus quem 33. d. Locati, quamvis aliud ferè in contractu emptionis & venditionis receptum sit, l. Si steriliâ 21. §. cum per venditorem d. De actionib. empti. Cujus diversitatis rationem hic non persequor.

8 Et licet Andreas Gail lib. 2. Observ. 6. interesse lucri cessantis admittere non videatur, nisi in mercatore solito negotiari, per text. in d. l. 3. §. fin. d. De eo quod certo loco, idem tamen omnino existimo & in alio, qui pecuniam paratam habet ad emendum prædium, quod annuarim, vel alio certo tempore, fructum reddit; ut is proventum prædii tamquam lucrum cessans possit in con-

ventionem deducere, vel à mutuario petere, secundum sanctum Antoninum, quem & alii communiter sequuntur, teste Martin. Navarrio in can. Si foveraveris x. v. quest. 3. vel in Comment. de V. juris num. 56. & in Manuali cap. 17. num. 211. Neque refert hoc casu, mora debitoris in solvendo intercesserit, vel non, ut idem docet Navarrio in d. can. Si foveraveris num. 43. cum seqq. Sufficit enim factio debitoris, etiam à creditore non interpellati, lucrum abfuisse: dum tamen vera intentio creditoris fuerit, pecuniam debitam & nondum solutam in lucrum convertendi; ne si diversum dicatur, officium sibi suum creditori damnosum sit, contra d. l. Sed si quis & s. 2. sup. De fidejuss.

Quare contra eundem Andr. Gail. necessario concluditur, idem planè juris esse in pecunia parata ad emendum censum annuum, etiam si creditor alius non sit mercator neque negotiator. Dummodò meminerimus, utrumque interesse tam damni emergentis, quam lucri cessantis, non consistere in jure, sed in facto, hoc est, certo jure ejus æstimationem non contineri, sed à judice incundam esse ex absentia lucri vel presentia damni, quod ratione mutui incurrit creditor, juxta juris regulam: Quatenus ejus intersit in facto, non in jure consistit, l. Quatenus 24. d. De R. I. Ac proinde ejus probatio incumbit creditori, antequam ejus nomine condemnari possit debitor, l. 2. d. De probat. servata tamen moderatione l. unica C. De sent. qua pro eo quod interest prof.

Et hinc consequens est, eos graviter hallucinari, qui loco interesse quinque vel aliam pecuniæ quantitatem pro centum imputant, instar annuorum censuum; aut simpliciter speciosum nomen interesse obtendunt, tamquam eo excusentur à crimine usurarum, sed probare debet creditor tanti sua interesse. At, inquirunt, interesse vel solum ex hoc capite peti potest, quod nemo præsumatur pecuniam, quæ ex mutuo, aut ex alia causa sibi debetur, voluisse retinere otiosam, si ea antè soluta fuisset, sed eam potius collocasse in honestum lucrum, veluti in emptionem prædii, aut annui census; atque idcirco rectè putant posse peti illud lucrum cessans. Sed nullo jure probatur hæc præsumptio, imò eam falsam esse apertè evincitur ex l. Qui semisses 13. §. fin. d. De usuria. Quasitum est, inquit Scævola, an iudicio negotiorum gestorum vel mandati pro pecunia otiosa usuras præstare debeat, cum dominus nullam pecuniam

pecuniam fœneravit? Respondit, si eam pecuniam depositam habuisset, id est, ex consuetudine mandantis fœnerasset, non debere quicquam usurarium nomine prestare.

Quod & quotidianâ experientia constat: quosdam enim esse adeo irretitos cupiditate pecuniarum, ut vel solâ earum inspectione aut numeratione delectentur: alios verò, selectos numeros affectionis gratiâ in thesaurum quemdam recondere: tertios, qui prudentiores sunt, prædii causâ certam pecuniam separatim seponere, ut tempore necessitatis habeant, quò confugiant. Quod ipsum & testatur elegans responsum Proculi J. C. in l. Sichorus 78. p. de legatis 3. sub his verbis: *Qua ibi mobilia mea erunt, do, lego; nummos ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos, Proculus ait. At eos, quos prædii causâ repositos haberes (ut quidam bellis civilibus facti assens) eos legato contineri: & audivisse seruos ista dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse; peculium appellans, quod prædii causâ seponeretur. At quis dubitat, non nunquam ex his fieri mutuum amico indigentis? Quare præsumptio illa, qua nemo censetur otiosam habere pecuniam, necessaria non est, & ne quidem probabilis; nisi fortè aliud suaderet personæ industria, quæ interdum talis est, ut non patiarur apud se ferri pecunias suas. Cujus disquisitionis & cognitio ad judicem pertinet, arg. l. 3. p. de restitut. in iureg. l. in causa 16. d. de minor. & l. 3. in fine d. Ex quib. causis majores &c.*

Unde non obstat Recessus deputatorum Imperii Spitzæ celebratus Anno 1600. & à Rudolpho II. confirmatus, post medium in §. So viel nun disen nach, ubi in Camera Imperiali decernatur creditori, propter moram mutui non soluti à debitore, quinque in centum loco interesse: nisi ille quinque non contentus probare velit, sua pluri interesse ratione damni emergentis & lucri cessantis. Sed hoc inspecta persona creditoris, ubi scilicet is probabiliter ex mutuo, si sibi solum fuisse & applicatum alteri rei permissa, erat ut minimum acquiratur quinque in centum. Recessus igitur non simpliciter quinque pro centum imputat loco interesse creditori, sed considerata industria personæ suæ, si tantundem ex mutuo soluto colligere potuerit, vel eo non soluto damnum passus sit. Cui consequens est, ut si nihil lucri vel damni causa absit creditori, nec quinque, neque aliud quid, ipsi debeat. Unde hac in re arbitrium judicis versabitur.

So Sed ad rem propius. Usura proprie in contractu mutui committitur, *cap. 1. extra de q. xlv. q. 3.*

& Christi quoque sententia de solo mutuo loquitur, *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Ideo quòd in mutuo transferatur rei mutuata dominium in accipientem. Nam inde dictum est mutuum, quòd ex meo tuum fiat, l. 2. §. appellat. d. Si certum petatur.

Proinde iniquum est pro usu rei, quæ jam alterius facta est, quidquam exigere aut sperare. Ualde & Pomponius J. C. in l. V. jur. l. 1. d. de verb. sign. pulchre asserit, usuram pecuniæ, quam percipimus, in fructu non esse; quia, inquit, non ex ipso corpore, sed ex alia causa est, id est, nova obligatione, videlicet, stipulatione mutuo adiecta, l. 3. C. hoc s. Quod aliter evenit in contractibus, in quibus dominium rei in accipientem non transit: veluti in locatione, in qua propter usum rei nostræ, licet aliquid paciscimur, vel recipimus invicem mercedis, instar mutui cujusdam compensationis, quemadmodum latius explicat D. Thom. in 2. q. 78. art. 1. in respons.

Et quamvis hæc ratio Joan. Corasii lib. 9. 12. Misc. cap. 21. num. 7. videatur longè nimium petita, & ut ipse ait, acuta & subtilis magis quam vera; nihilominus ex natura contractus eam rectè petitam existimo. Sed rationem Corasii inspicimus: ideo enim is existimat usuras prohibitas esse, quòd absorbeant egentium fortunas, dum hi in necessitate constituti pecuniis à fœneratoribus sub quacumque leges acceptis, tandem ad summam inopiam redigantur; versuram ex versura facientes, hoc est, nova semper debita contrahentes, ut præcedentium debitorum usuras persolvant; atque ita accidere, quòd usuram fugat usura, usura altera restet. Verum hæc ratio non planè constat, cum absque hujusmodi incommodis usura committi possit. Sed si qua alia melior est, hæc est, quam ibidem subjicit his verbis: *Hodis, iniquitas, Logo Christi usura omnino prohibita est, neque enim charitati (quæ tamen inter mandata Dei præcellit) quoquo pacto convenit, mutuum in lucrum consuetudinem vertere. Ideoque Christus Opt. Max. voluit ex mutuo quicquam sperari. Ita Corasius Quod & infra fufius confirmabitur. Interim & prior nostra ratio verissima est ex natura contractus, ut diximus, desumpta.*

Diximus usuram in contractu mutui committi; & id quidem proprie, hoc est, inspecta verborum forma: at improprie, sive ex mente contrahentium (quæ vel inprimis in agendo inspicenda est, l. Insulam 6. d. de prescrip. verb. & c. C. Rm. valere quòd agitur &c. & ca. l. intelligitio 4. inf. de verb.

De verb. signif. ) etiam in aliis contractibus admittitur; veluti in emptione & venditione, cum scilicet res pluris iusto pretio venditur, propter dilatam solutionem, aut minoris, propter presentem live anticipatam solutionem, c. *Consuluit* & c. *fin hoc tit.* ut in specie e. *Ad nostram* § *sup. De empt.* & *vend.* & in c. *Illo* 4. *sup. De pignorib.* sicut in f. cap. 3. latius discutietur.

13 Quibus etsi suffragari videatur textus in l. *Mora* 32. § *in bona fidei*, item in l. *Vsura* 34. D. *hoc tit. in l.* In bona fidei C. eod. in l. *Initio* 5. C. *De pactis inter empt.* & *vend.* & in l. 5. C. *De actionib. empti*, quibus in omnibus bonæ fidei contractibus usuræ dicuntur venire ex mora. Sed alia horum iurum sententia est, eo quod non loquantur de usuris lucrativis, id est, merum lucrum continentibus, de quibus hic disputatio est, sed de compensatoriis, ut vocant, usuris, ratione videlicet interesse, propter moram debitoris; sicut ex Azone & Hugone tradit Glossa in l. 2. *Cod. De usuris*, & ibi Bart. & Salic. Glossa in cap. *Conquestus*, & ibi Panormit. hoc eod. tit. latius Covarr. *Variat. resolut. lib. 3. cap. 4.* Quod vel indicat responsum J. C. in l. *Socium* 60. D. *Pro socio*, ubi his verbis: *Socium qui in eo, quod ex societate lucri fecerit, reddendo moram adhibuit, cum ea pecuniâ ipse usus sit, usuras quoque prestare debere, Labeo ait: sed non quasi usuras, sed quod socii interesse moram eum non adhibuisse. Idem constat ex l. 5. C. De action. empti.* Curabit, inquit, textus, *Præses Provincia compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris restituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor licet nulla mora intercesserit, generavit* Et ex l. 2. C. *De usuris*, *Vsuras emptor, inquit, cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obtulerit, quamvis pecuniam ob signatam in depositi causam habuerit, aequitatis ratione prestare cogitur.* In eadem quoque sententiam extat textus in l. *Julianus* 14. §. *ex vendito* D. *De action. empti.* Ex quibus constat, interesse interdum distinguendum ab usuris, scilicet lucrativis; interdum vero confundi cum usuris compensatoriis, quæ licet usuræ nominentur, tamen veræ & propriæ non sunt, cum tantummodo contineant interesse creditoris, de quo supra egimus hoc eodem cap.

14 Cæterum usuræ, quatenus lucrativæ sunt, tamen contractibus bonæ fidei, quam stricti iuris, in stipulationem vel aliam conventionem deductæ, nullâ ratione peti possunt, sicut liquet ex d. cap. *Consuluit* 10. & cap. *fin* & passim hoc tit. Tamen enim contractus bonæ fidei, naturâ suâ sint

& dicantur bonæ fidei; tamen si ex stipulatione, vel alia pactioe lucrum aliquod iis præter interesse accesserit, illud juris interpretatione in mutuum degenerat; quasi solutione factâ à debitore eadem pecunia redierit, arg. l. *Singularia* 15. D. *Si certum pet.* & l. *Licet* 44. §. 1. D. *De jure dotum.* Quo tamen referri non debet contractus emptionis & venditionis annui census live redditus, prout in f. cap. 10. fusè tractabitur.

Sed & hic animadvertendum est, quod etsi 15 mutuum gratis præstari debeat, non tamen interdum prohiberi creditorem, quin minus principaliter, & in quamdam consequentiam lucrum aliquod sperare possit, ex sententia Mart. Navarri in *Manuali* c. 17. numer. 209. ubi hoc simili exemplo comprobatur, deducto ex can. *Si officia* 59. dist. & can. *Quid proderit* 61. dist. junctâ ibid. *Gloss.* dum ex his probatur, licitum esse, Ecclesiæ servire vel Prælato, spe secundariâ, licet non principali, beneficium obtinendi. Nam si principaliter, Simonia contraheretur. Item & ex Psalmo 118. *Inclina vi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Ex eo deducens, quod, tamen si principaliter interdictum sit servire Deo propter remunerationem terrenam, non tamen veritum sit, si id minus principaliter fiat. Quod & rationem habet, cum in contractu initium & causa ejus potissimum spectetur, l. *Si procuratorem* 8. in princ. D. *Mandati*, l. *Non omnis* 19. D. *Si certum petatur.*

Restat ut hic altius repetamus, quo jure usu- 16 ræ interdictæ sint. Et in primis in confesso est, exercere usuras, esse peccatum, & consequenter jure divino prohibitum. Quod autem peccatum sit, probatur dicta sententia Christi: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Similiter locus est Ezech. *sup. allatus*, junctâ d. cap. *Consuluit hoc tit.* & text. in cap. *unico eod. tit. in Clement.* quo & jubetur animadverti in eos tamquam hæreticos, qui id pernegant. Unde & Psalmographus his verbis exclamatur: *Domino quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & c. qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Psalm. 140. Quibus certè consequens est, jure divino prohibitas esse usuras; cum omne peccatum Deus aversetur, juxta illud Sap. c. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* & Proverb. 14. *Miseros facit populos peccatum.*

Nec movet, quod dicta sententia Christi inter 17 Evangelica consilia recenseatur, *Luca* 6. ut sunt, de diligendo inimico, de præbendo percuti-

K k k

enti

enti maxillam alteram: at certum est, Evangelica consilia non obligare ad peccatum. Nam responderetur, id quidem verum esse, quoad ipsam mutuationem sive dationem mutui, ad quam nemo adstringitur; & idcirco ea consilii est. Ut autem inde nihil capiatur aut speretur lucrum, præcepti est, sicut docet Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 78 *art.* 5 ad 4. *Dare mutuum*, inquit, *non semper tenetur homo* Et ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia; sed quod homo lucrum de mutuo non quarat, hoc cadit sub ratione præcepti. Proinde Petrus Binsfeldius in c. *Quia in omnibus hoc tit. quæst.* 3. *concl.* 2. rectè censet, Christi sententiam, plenioris intelligentiæ gratiâ in duas partes distribuendam esse: unam, quoad dationem mutui; alteram, ut ex eo nihil speretur. Priorem partem ait, S. Thom. Ant. Conrad. aliosque antiquiores Theologos benè intellexisse, & docuisse, esse consilii, extra casum necessitatis; posteriorem verò præcepti. Simile exemplum subjicit ex Psalm. 75. *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, ubi & prius verbum consilii esse asserit, ut reverà est, & subsequentiæ præcepti, c. *Magna* 7 *sup. De voto* Quod & confirmat text. in d. *cap. Consuluit* 10. eamdem sententiam Christi repetens ad improbandas usuras.

Neque his adversatur alter locus apud Lucam *cap.* 19. ubi factum ejus reprehenditur, qui acceptam pecuniam ad negotiandum conservaverat, & sænoti non exposuerat. *Quare*, inquit textus, *non dedisti pecuniam meam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam*. Quali ex hoc videri posset, jure divino non improbari usuras. Sed responder Divus Thomas d. *quæst.* 78 *art.* 1. ad 1. *arg.* usuram ibi metaphoricè sumi pro profectu bonorum spiritualium, quem Deus à nobis exigit. Idque vel ex eo constat, quod ibi in modum parabolæ loquatur Christus, referendo quidem facti veritatem (ut olim fieri solebat apud mensarios sive argentarios, dum pecuniæ sænebres apud eos deponerentur, quas ipsi postea per partes erogabant & collocabant, l. 4. l. 9. §. *penult.* D. *De liberat legata*) non tamen approbando factum tamquam in se licitum. Similis parabola est apud eundem Lucam *cap.* 16. de villico, ejus & factum fraudulentum ibi recensetur; eaque ratione probatur, ut ejus exemplo inducamur in rei spiritualis cognitionem & amorem.

Itaque jure divino interdictæ sunt usuræ, ut & restantur Mart. Navarrus in *tract. de Usuris* num. 7. & 8. Andr. Gail lib. 2. *observ.* 5 num. 5. Joan. Corasius *Miscell. lib.* 3. *cap.* 21. in fine, Petr. Binsfeld. in d. c.

*Quia in omnibus* 1. *concl.* & Did. Covarr. lib. 3. *Variar. resolut. cap.* 1. num. 5. ubi & prædictam sententiam Christi adducit, additque Theologos & Canonistas, frequentissimo omnium consensu existimare, usuram jure divino, etiam Evangelico vitatam esse. Quocirca & ibidem num. 6. Ego sane, inquit, *censeo leges Iustiniani permittentes & approbantes usuras, improbas esse. cum juri naturali, & divino refragentur*. Quod & fatetur Baldus in *Auth. Adhac num.* 4. *cum seqq. Cod. De usuris*, ubi asserit, leges permittentes usuras per se invalidas esse, propter jus divinum. Nam cum jus divinum, ait, *sit majus quàm jus civile, non potest tolli; & quicquid est contra institutionem divinam, est peccatum*. Quo loco etiam refutat Nicolaum de Matia aliter sentientem: nam cum hic putaret jus divinum, quo usuræ prohibentur, per legem humanam distingui & temperari posse, propter publicum bonum, ut scilicet moderatæ usuræ permittantur pro solatio creditorum, & ut ad subsidia pauperum eos facilius invitentur; argumento alterius præcepti divini, *Non occides*, quod & ex jure humano moderatorem accipit, ut videre est in l. 1. *in l. 2. C. Quando liceat unicuique sine jud.* occurrit illi Baldus, quod juri divino per humanam legem derogari non possit, additque, vel in uno nummo licitas non esse leges vel statuta, quæ usuras permittunt, ut in c. *Gravi De usuris in Clem.* imò hujusmodi statuta ex libro communitarum expungenda esse, & judicantes secundum ea esse excommunicatos. Hæc Baldus.

Simili ratione refellitur Carolus Molinæus à 10 Mart. Navarr. in *can. Si saneraveris* 21 v. *quæst.* 3. num. 11. qui est *tract. de Usuris*, quod scilicet is nimis iudicii sui confidentiâ (utor verbis Navarr.) ausus fuerit affirmare, licitas esse usuras moderatas, per l. *Eos C. De usuris*, toto jure Canonico non obstantè.

Verùm Andr. Alciatus in l. *Usurarius* D. *De verbor. sign.* et si initio fateatur, usuras divinis Christi traditionibus esse interdictas, tamen postea circa finem existimat publicè interesse, si lex civilis certum modum sænerantibus constituens, apud suos (Italos, quantum assequor) servaretur, & qui eum excederent, plecterentur. Nam præter Canonum, addit, prohibitionem, non nisi pessimus quisque & imprudentissimus sænerat, qui cambis, vel ejus quod intereret nomine, vel alio ficto titulo indigentem atque necessitate (quod humaniores non reperiat) compulsam, atque subit. Quod certè non negavero, ubi ita hominum animi comparati sunt, ut nisi capto vel expectato lucro

lucro nolint dare mutuum: Hoc enim casu, ne egentes in majora incommoda incidant, aut commercia hominum impediatur, cum perniciose Reipubl. dubium non est usuras moderatas statuta lege permitti posse. Nam & Divus Thomas in 2. 2. quæst. 78. dum hoc argumentum pro usuris tertio loco movisset: *In rebus humanis determinatur justitia per leges civiles; Sed secundum eas conceditur, usuras accipere; ergo non videtur esse illicitum*; Respondet his verbis: *Leges humanae dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multa utilitates impediuntur, si omnia peccata districtè prohiberentur, poenis adhibitis. Et ideo usuras, addit, lex humana concessit; non quasi existimans eas esse secundum justitiam, sed ne impediuntur utilitates multorum. In quem locum ita Cajetan. quod stando intra terminos juris divini & naturalis, licitum est condere leges permissivas usurarum, non propter lucrum Principum, quod ab usurariis percipiunt (quia hoc est participare in crimine) sed propter vitandum malum, puta furta, &c. Quomodo licitum est condere leges permissivas meretricum, propter vitanda adulteria, nec hujusmodi leges sunt injusta. Ita Cajetanus. Sic ego aliquando in Belgio vidi usurarios manifestos, quos Lombardos vocant, impunè exercere usuras, & constituto certo lucro in usuris. Et refert Navarr. consil. 33 sub tit. de usuris num. 3. Papam in suis ditionibus etiam in urbe permittere Judæis exercitium usurarium, certâ moderatione adhibitâ.*

22 Sic rursus Divus Thomas illud Deuteron. 23. *Non sœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*, interpretatur à quæst. 78. art. 2. ad 2. quod concessum quidem fuerit Judæis usuras ab extraneo recipere, non tamen ut licitas, sed ad vitandum majus malum, ne scilicet fratres suos, id est, Judæos Deum colentes usuris onerarent.

23 Ex his quoque inferitur, quoad ante jure D. & Cod. constitutum erat in tutore & curatore, ut hi ex pecunia minorum sœnerarent, vel prædia idonea emerent, l. Tutores 24. Cod. De administr. tutor. Et Quoties 10 in pr. D. eod. (licet postea paulò aliter ex Justiniani Novel. 72. *Ut hi qui oblig. se habere*) jure divino & Canonico planè sublatum esse, quod ad fœnus attinet.

24 Verùm hic dubitatio non levis suboritur circa l. 3. §. fin. D. De annuis & mensr. legatis, ubi ita Ulpianus: *Si cui certa quantitas legatur, & quoad præstetur, in singulos annos certum aliquid, veluti, usuras iusserit testator præstari, legatum valet: sed in usuris hæsit*

nus debet valere, quatenus modum probabilem usurarum non excedat. Hic, inquam, non levis dubitatio suboritur, an hujusmodi usuræ ex ultima voluntate debeantur, inspecto jure divino & Canonico? Negat Bartolus in d. §. fin. & in l. 2. num. 3. D. De his qua pœna nomine relinq. ubi & hanc rationem reddit: sicut enim, ait, de jure civili usuræ sunt prohibitæ ultra certam quantitatem, puta, constitutam in l. Eos §. 1. C. De usuris, ita hodie de jure Canonico sunt in totum prohibitæ. Et sic Bart. existimat d. §. final. per jus Canonicum sublatum esse. Cui accedunt Jason in Repet. l. 1. num. 29. cum duobus seqq. C. De Summa Trinitate ceterique Dd. teste eod. Jasone ibidem. Nominatim verò Jason refert Puteum ita respondisse & obtinuisse Papiam in simili facti specie: Testator legaverat Sempronio mille florenos, hac lege, ut, si non posset eas heres confestim solvere, solveret quotannis unam vini Begundiam (est certa mensura loci.) Accidit autem, quod cum heres moram traxisset solvendi vinum per tricennium, legatarius tres hujusmodi mensuras sibi dari petierit. Sed Puteus secutus Bartolum respondit, heredem eas non debere, quod usuram continerent. Eandem sententiam tuetur & Did. Covarr. Variar. resolut. lib. 3. cap. 1. num. 9. ubi & multos alios ejusdem sententiæ suffragatores enumerat.

Cæterum Paulus Castrensis in d. l. 1. numer. 14. hanc opinionem improbat; ex eo, quod testator possit gravare heredem pœna nomine, si legatum non præstiterit, l. unica C. De his qua pœna nom. in testam. relinq. & §. pœna Instit. De legatis. Uade putat ipse, veram usuram dici non posse, ubi factio testatoris heredi onus impositum est. Ad eò quod idem Paulus Castr. in l. Apud Iulianum, aliàs incipit, Africanus §. fructus in Lect. Bonon. D. De legatis 1. prout eam citat Jason. dicto loco, dicat, mirari se plurimum de sententia Bart. propter tit. D. & C. De his qua pœna nom. Quo tamen loco errat Jason quod idem ante Castrensem sensisse referat Baldum, in d. l. unica C. De his qua pœna nom. numer. 38. quæstion. 3. cum Baldus de diversa specie loquatur. Quare recitemus verba Baldi, ut eo magis detegatur error Jasonis. Tertio, inquit, queritur: Testator mandavit heredi, ut daret mihi mille, aut centum quolibet mense in vita mea, numquid poterò ista centum quolibet mense in vita mea petere? Et videtur, quod non, quia testatur in ultima voluntate non potest usuras permittere, ut not. in l. 2. D. De annuis legat. Dic. contra, subjicit Bald. quia ista non est usura, sed alienationem



rum legatum, cum non possit peti unâ cum mille; de natura enim usura est multiplicatio obligationis, non alternatio. Bald. igitur de alia specie loquitur ex eâ quæstionem nostram, illiusque decisio verissima est. Etenim in alternativis sufficit alterum impleri, c. In alternativis 70. De regulis juris in 6 l. In eo 110 § ubi verba, De eod. & §. Si plures Instis De hered. instis.

Nihilominus Andr. Alciatus lib. 5. Paradoxor. cap. ult. Paulum Castrensem sequitur, hac ratione ductus, Si enim, inquit, in confesso est, posse quemlibet tot annua legare, donec illud, aut illud factum sit, nonne idem & hoc casu admittendum aequitas admonet: veluti, cum dictum fuerit, donec illi centum dederis, tot annua heres meus dato? Si quidem usura ea est, cum ab invito quis extorquet pecunias ob moram: At nostra quæstio tunc procedit, cum pecunia ab invito non exiguntur; heres enim non ex sua, sed ex defuncti persona tenetur, & eius voluntatem exequitur; ut hac præstatio eodem jure censeri debeat, atque si testator ipse pecuniam repræsenteret: quo casu fœnus non est, cum sponte solvitur: sed & utique heres, qui annua illa solvit, non de suo solvere, sed de testatoris & creditur, quam legem sui rebus imponere eum potuisse, non dubitaverim. Huic accedit, omnes leges, quæ usuras exerceri prohibent, de his loqui quæ ex contractu dubitoris pactione vel aliqua debentur; quod hic dici non potest. Quod ergo mutatum non est, cur prohibetur stare? l. Præcipimus C. De appellationibus. Hæc Alciatus. Quo tamen loco in fine hanc sententiam moderatur, ut eam intellectam velit, ubi à testatore non est expressum, tale legatum annuum deberi pro usuris; at secus, si expressum sit; cum expressa noceant, non expressa non noceant, vulg. l. Expressa D. De R. l.

Sed & Felicianus de Solis, in tract. de Censib. lib. 2. cap. 5. num. 5. eamdem sententiam tuetur, eadem prope ratione, quod scilicet ex Theologis & Juris Pontificii Professoribus, sæpissimè constet, usuram non posse reperiri, nisi in mutuo verò, & præsumpto, aut interpretativo; at hinc nullum tale mutuum est, cum legatarius nihil numeret, nihil extorqueat Ubi & responder ad Ulp. locum in d. l. 3 § fin. verbum, usurarum, non propriè ibi sumi affirmans, sed largissimè & impropriè, pro quolibet successivo incremento, si ve abundantia. Ut hinc planè anceps relinquatur hæc quæstio.

25 Cæterum non existimo à priori sententia discedendum esse, quæ aperto textu nititur in d. l. 3 § fin. Nam quod primo loco in confesso esse asserit Alciatus, testatorem posse tot annua legare,

donec illud aut illud factum fuerit, nihil huic velim refragari, si annum legatum factum adjectum sit. At contra, si quantitati pecuniæ, ut in spec. d. § fin. nam tunc rem in usurarum vitium incidere prorsus existimo. Si enim constituamus, testatorem heredi mandasse, ut Titio insulam ædificet, aut aliud quid faciat ad emolumentum Titii, adjectâ pœnâ annuâ, donec factum fuerit; certum est, hanc pœnam legitimè deberi, quod emolumentum loco succedat: secus verò, ubi legato quantitati pœna apposta est. Quid enim est, quod hanc pœnam legatarius extorqueat; cum ratione legatæ pecuniæ, quæ naturâ suâ sterilis est, nihil emolumenti legatario absit? nisi fortè legatarius obtenderet interesse lucri cessantis vel damni emergentis, de quo supra egimus. Neque distinguendum puto, utrum hinc annuum legato quantitati adjectum sit, sub nomine usurarum, an remoto usurarum nomine: cum pœna apposta quantitati censetur adjecta in fraudem usurarum, l. Iulianus 14. §. ibidem Papinianus D. De actionib. empti.

Et quod addit Alciatus, usuras ab invito extorqueri, verum est in dubio; cum nemo præsumatur res suas jactare, vulg. l. Cum de indebitis 2 § D. De probat. Id evenit & in præsentis casu, ideo quod hæres legatum non præstando, cogatur ad usurarum solutionem, idque non tam ex voluntate testatoris quàm ex proprio facto, cum malit hæres usuras præstare, quàm ipsum legatum quantitati. Igitur hoc legatum tamquam mutuum sub usuris heres retinet. Aliud verò est, ubi tale legatum alternativum est, ut antea ex Baldo retulimus, vel peti non potest nisi post certum tempus; atque interim heres certam annuam pensionem præstare jussus est. Nam hac specie legatum valere, omnino crediderim, uti & Did. Covarr. d. c. 1. num. 9. usque ad finem. Ex quibus etiam facile est respondere ad rationem ipsius Feliciani.

Porro majoris momenti est respondere ad Paulum Castrensem, propter d. l. unicam Cod. De his quæ pœna nomine & d. § pœna Instis De legatis. Opinor tamen utrumque textum exaudiendum esse, ubi scilicet, legato corporis, vel alterius speciei quàm quantitati, pœna adjecta est. Nam quantitati adjecta pœna censetur in fraudem usurarum adjecta, ut paulò antè diximus ex d. §. ibidem Papinianus & quæ ibi notat Accursus. Ita quod prorsus existimem, non minùs in ultima voluntate, quàm in contractibus usuram committi. Neque

verum

verum, est, quod inquit Alciatus, leges omnes, quæ usuras exerceri prohibent, de his loqui, quæ ex contractu debitoris, pactione ve aliqua debentur, non verò ex ultima voluntate: cum contrarium constet ex *d. l. 3, §. fin.* eas etiam ex ultima voluntate venire, ideoque illicitas esse, licet conceptæ sint intra modum, qui à Justiniano certâ quantitate præscriptus est, in *l. Eos 26, §. 1, C. De usuris*. E contra verò, si sententiam Castrensis & Alciati sequeremur, nihil interesset, præscriptum a jure modum usuræ excederent, an eo continerentur.

26 Cæterum & jure naturali prohibitas esse usuras, quinque rationibus comprobatur Did. Covarr. *d. cap. 1, num. 5*, quas hic consultè omitimus, unicâ tantùm Aristotelis ratione contenti. Is lib. 1, Politic. cap. 7, ita inquit: *Commutationis causa nummus inductus fuit, fœnus autem seipsum majus facit; unde & nomen venit: quoniam illa, qua parvuntur, similia sunt generantibus: in fœnore autem nummus nummum parit. Quare maximè præter naturam est hic acquirendi modus*. Et certè, cum, teste Florentino J. C. in *l. Vi vim De D. justitia & jure*, natura inter homines cognationem quamdam constituerit: item, auctore Papiniano in *l. Servus 7, in fine D. De servis export.* cum beneficio affici hominem intersit hominis: videtur omninò adversari societati humanæ, ut eam quis pecuniam, quæ aliâ apud se otiosa est, non velit alteri communicare, nisi cum lucro suo, & damno sive detrimento recipientis; utpote non ab humilis cani in præsepi (ut proverbio jactatur) imò & eò deterior, qui in præsepi decumbens, nec fruitur hordeo, nec equum frui patitur.

27 Sed rejicit creditor usurarius, se non iniquè additamentum petere ex pecunia otiosa; quòd vereatur, ne aliquando debitor facultatibus lapsus solvendo non sit, aut solutionem malitiosè sit extracturus. Improbis hic prætextus est; cum mutuum dare voluntarium sit, ut & alii contractus, *l. Sicut 5, C. De actionib. & oblig.* & si dederit mutuum faciliè sibi in utrumque casum consulere possit, vel accepto pignore, vel dato fidejussore, ut ita saluum sibi maneat debitum.

28 Neque hic attinet disquirere, an jure Canonico usuræ interdictæ sint; id enim diserte testantur Decretales *sub tit. De usuris, & causa xiv. qu. 3*, aliisque loca juris Canonici, quæ passim obvia sunt.

29 Sed quoad jus Civile, non omninò expeditum est, an eò jure interdictæ sint usuræ. Et quidem

constat jure D. & Cod. permissas fuisse usuras, ad legitimum tamen modum, in *d. l. Eos 26, §. 1, C. hoc tit.*

† Quo loco pro personarum qualitate, diversæ usurarum species statuuntur, ut sunt, centesima, besse, semisses, & c. quarum centesimæ assis locum obtinent, ad eamque speciem reliquæ usuræ rediguntur. Centesimæ sunt, quæ ex centenis nummis duodenos quotannis reddunt: sic appellatæ, quòd earum quantitas mensura (quia in singulos menses, qui in anno duodecim sunt, usuræ olim concipi solebant) centesima pars sit sortis, *d. l. Eos, l. 4, D. De nautico fœnore. & l. fin. §. fin. D. De jure dotium*. Besse, quando in centum præstantur octo annua, *d. l. Eos*. Semisses usuræ, dimidiæ centesimæ sunt, nempe cum pro centum in singulos annos sex penduntur, *d. l. Eos & l. Alumna 30, D. De adimen. legatis*. Sunt & usuræ quincunces, quæ quintam centesimæ quotannis reddunt, videlicet quinque pro centum, *l. 15, D. De adim. legat. l. 17, D. De usuris*. Trientes, cum quatuor in centum penduntur, *l. 7, §. qua autem D. De administrat. tutor. l. 3, in fine D. Ad l. Falcid.* Quadrantes, cum tres quotannis solvuntur, *l. 2, §. largius D. De annuis & mensi legatis*. Septunces, cum septem; Dodrantes, cum novem; Dextrantes, cum decem in centum præstantur: ita tamen, ut quatenus hæc in specie sua excedunt, revocentur ad modum à Justiniano præscriptum in *d. l. Eos §. 1.*

De his igitur usuris quæ situm est, an posteriori jure per Justinianum abrogatæ sint: Dubitationem movet, quòd ipse Justinianus *Novel. 131, de Ecclesiast. titulis*, aperte sanciverit, sacras Ecclesiasticas regulas, quæ à quatuor Conciliis, puta Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, editæ sunt, obtinere vicem legum. At in Concilio Nicæno expressè interdictæ sunt usuræ, *can. Quoniam, dist. 47*, Atque hanc sententiam communiter receptam esse testatur Panormit. in *cap. Cum sit numero 18, sup. De foro compet.* à qua tamen ipse dissentit, existimans, usuras non ideo planè sublatas esse per Justinianum; cum Concil. Nicænum tantùm de Clericis loquatur, & idcirco ad laicos non pertineat. Deinde ex *d. Justiniani Novel. 131, §. Si autem distulerunt*, constat certo modo usuras permissas esse.

Præterea extat & *Novel. 130, de usuris nauticis*, quæ admittuntur nauticæ usuræ. Ita quòd verisimile non sit, usuras fuisse sublatas per Justinianum. Et hanc quoque sententiam sequitur & tueretur Did. Covarr. *Variar. resolut. lib. 3, cap. 1, n. 6.*

Sed quid his immoramur, cum antè à nobis demonstratum sit, jure divino usuras esse planè interdictas, & ejus etiam auctoritate ex præscripto juris Canonici; tum & ex posteriorum Impm. con-

stitutionibus, videlicet Maximiliani primi, anno M.D. Caroli V. anno M.D. XLVIII. & moderni Imp. Rudolphi II. ut videre est in fine ad calcem hujus tractatus.

## CAPVT II.

*Vsuras ne quidem pietatis causâ permissas esse: & an debitor usuras rectè paciscatur vel solvat?*

In Cap. Super eo 4. h. t.

## SUMMARI A.

1. *Vsura etiam in piam causam interdicta.*
2. *Mendacium ut nocivum.*
3. *Debitor an licitè usuras solvat, aut de eis paciscatur.*
4. *Rationes dubitandi. 5. Decidendi.*
6. *D. Thoma & aliorum sententia de debitore usurario.*
7. *Solutio argumentorum.*

**H**Ac igitur Decretali usura adèd interdicuntur, licet in piam causam destinata sint: puta in redemptionem captivorum vel in alimenta pauperum. Idque propter prohibitionem utriusque Testamenti, cujus superiore capite meminimus, num. 16. Quod ulterius hoc textu confirmatur, argumento ducto à mendacio ad usuras, tamquam à minore ad majus, quod utroque jure receptissimum est, c. *Cum in cunctis* 7, in princ. sup. De elect. l. fin. & ibi Gl. C. *Qui astate vel professione* lib. 10, l. *Cum soluta* 3, C. *De conduct. indeb.* & l. *Si quando* 15, C. *De testib. cum similibus.*

**V**idetur autem summus Pont. hinc respexisse quoad mendacium, ad illud Sap. 1, cap. *Os quod mentitur occidit animam.* De quo ita quoque D. Augustinus in lib. *de mendacio* cap. 6, ut refert Gratianus in Decreto suo can. *Si quis ad te confugiat* xxii. qu. 2, *Si quis*, inquit, *ad te confugiat, qui mandacio tuo possit à morte liberari, non es mentiturus; os enim quod mentitur occidit animam, & infra: Cum ergò mentiendo vita aeterna amittitur, numquam pro cuiusquam vita temporali mentiendum est.* Et quoad usuras, & alias res illicitè acquisitas, extat textus alter in can. 27, *Non est putanda l. quest. 1, Non est putanda elemosina, si pauperibus dispensatur quod ex illicitis rebus accipitur; quia qui hac intentione malè accipit, ut quasi bene dispenses, gravatur potius quàm juratur.* At usura species rapinae est, can. *Si quis usuram* xiv q. 4.

Ut hinc gravissimè creant, qui usuras sub prætextu interesse (quod falsò obiciunt) ideo audacter exercent quòd in alimenta pauperum cas-

destinaverint, quos aperte hinc redarguit textus noster, qui ne quidem mentiri vult pro conservanda vita proximi, multo minus, ut eonominè usura capiantur.

Ceterum quæstionis est, an debitor pro pecunia mutuo accepta licitè usuras solvat, aut de eis solvendis paciscatur?

Quod vix videtur, ex duplici ratione: una desumpta ex epistola D. Pauli *ad Rom. cap. 1*, ubi non tantum digni morte censentur, qui faciunt peccata, sed & qui consentiunt facientibus. Non autem dubium est, debitorem usuras solvendo aut paciscendo consentire in ipsas usuras; cum omnis contractus sive conventio consensu utriusque partis constet, l. 1, §. 1, *D. De pactis.* Altera est, quòd debitor recipiendo pecuniam mutuo in usuras, occasionem præbeat sœnerandi, & consequenter peccet. Ut enim nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat, ut inquit Ulp. in l. *Nihil interest* 15, *D. Ad L. Corn. de scar.* ita & hoc casu nihil interesse videtur, usuram quis per se exercent, an alteri causam sœnerandi præster. Idem in eo dicitur, qui damni occasionem dat, ut & hic damnum dedisse censetur, l. *Qui occidit* 30, §. *Et in hac quoque actione* *D. Ad legem Aquil. & c. fin. in fine* *De injuriis.* Idem ergò & in præsentì quæstione juris videtur.

Quibus tamen non obstantibus, verius est, debitorem licitè & absque peccato posse mutuum pecuniam accipere sub usuris, per text. in c. *Debitores* 6, sup. *De jurojur.* Quo loco debitoris obligatio de usuris solvendis jurejurando confirmatur. At si ea obligatio peccatum contineret, jurejurando confirmari non posset, propter juris regulam: Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, c. *Non est obligatorium* 58 *De R. I. in 6, & Auth. Quod eis permittitur* C. *De nuptiis.*

Quæ sententia & D. Thomæ placet in 1, 2, qu. 78, art. 4, in respons. Ubi disertè asserit, quòd quamvis

vis inducere hominem ad mutuandum sub usuris, permiffum non fit, quia effet invitare ad peccatum; poffe tamen quem licitè ab eo, qui in id paratus eft & ufuras exercet, mutuum sub ufuris fumere, confulendæ neceffitatis fuæ vel alienæ caufa. Cui fubfcribit & Dominicus Soto, *de Inft. & jure lib. 6, quæft. 1, art. 2*, Ubi & in quæftionem vocat, an fine ulla neceffitate idem quis facere poffit? Quod plane putat; cum unicuique permiffum fit citra peccatum mortale fua profunderè. Facit text. in *l. Sed & fi lege 28, §. confultis D. De petit. hered.* Addit tamen Soto, nifi circumftantia aliqua concurreret, quæ dicitaret effe mortale; veluti, fi liberi alendi effent ex pecuniis, quæ in caulam ufurarum profunduntur, vel fi Prælati, nullâ neceffitate ductus, non poffet abfque scandalo ufuras promittere. Sed & Marr. Navarr. in *Manuali cap. 17, num. 262*, putat debitorem excu-

fari, fi ipfe non fponfe fuâ, fed rogatus creditori ufuras promitteret, alias non mutuaturus.

Quare non movet prius argumentum; quia, ut rectè refpondet D. Thom. *d. art. 4*, is qui pecuniam fub ufuris accipit, non confentit in peccatum ufurarii, fed eo tantummodò utitur propter mutuacionem, quæ in fe bona eft, quam & mallet debitor potiùs effe gratuitam, quàm ufurariam. Unde hac in re creditoris ufurarii culpa vertitur, non debitoris. Peccata verò ex voluntate & propofito metimur, *cap. Cum voluntate 54. inf. De fent. excommunic. & l. Qui injuria 51, in princ. D. De furto*, quod latius perfequitur Soto *jam dicto loco*. Ad alterum argumentum quod attinet, negandum eft, debitorem præbere occafionem fcenerandi, fed tantùm mutuandi cui ex malitia & lucrâ di ftudio à creditore ufura adiciitur. Sicut & idem D. Th. explicat. *d. art. 4, ad 2.*

## CAPVT III.

*Ufuram committi etiam in emptione & venditione circa pretium.*

In Cap. In civitate 6. & c. Naviganti ult. h. t.

## SUMMARI A.

1. Prohibetur res carius vendi, propter dilatam folutionem, &c.
2. An huiusmodi venditio prohibita in totum vitietur.
3. Quid ex parte emptoris, fit vitium emat ob præfentem folutionem?

**H**Æ duæ Decretales ejuſdem ſunt argumenti: niſi quòd poſterior in initio præmittat de fœnore nautico ſive terreſtri; de quo infra cap. ſequenti. Quare ſententia utriuſque hæc eſt, quòd venditor pluriſ rem vendens ob dilatam ſolutionem peccet. Hic igitur perſtringuntur venditores, qui merces ſuas carius æſtimatione ſuâ diſtrahunt, ob ſolutionem in longius tempus rejeſtam. Mercium verò nomine mobiles res continentur, *l. Mercis 66, D. De verbor. ſignif.* Nihilominus & ad res immobiles venditas hoc interdictum pertinet, ut rectè Salicetus cenſet, in *Auth. Adhuc num. 8, C. De uſuris*, contra Bald afferentem in rebus tantummodò fungibilibus, hoc eſt, quæ pondere, vel menſurâ conſtant, committi uſuram; non verò, ſi domus vel aliud prædium vendatur. Nec enim res quæ venditur, anquit Salic. in conſiderationem venit, ſed prætiù

ejuſ, quòd ob dilatam ſolutionem auſctius, quàm contractus tempore valet, conſtituitur; ac proinde in eo, quòd juſtum pretium excedit, uſura eſt. Berous in *d. c. In civitate, circa princ.*

Nec huic refragatur, quòd uſura propriè in mutuo committitur, non in ceteris contractibus: quia hoc verum eſt, quoad formam contractus, non verò quoad mentem contrahentium, quæ in contractibus ſemper præponderat, *l. Inſulam 6, C. De præſcr. verbis & tit. C. Plus valere quòd agitur quam quòd ſimulatè concipitur, c. Per tuas 12, ſup. Qui filii ſint legit.* Panorm. in *d. c. In civitate num. 2*, Berous & Ananias *num. 1*, quaſi brevi manu pretio recepto, venditor idem pretium ſub uſuris credidiſſet emptori, *arg. l. Singularia 15, D. Si certum per.* Cujus etiam ſuprà cap. 1, meminimus.

Proinde verba *d. cap. In civitate*, venditores peccatum incurrunt, non ſimpliciter exaudienda ſunt de peccato, ſed de peccato uſurario, ex ſententia Hoſtienſis & Panorm. *ibid.* quam & communiter receptam reſtatur Salic. *d. loco* Idem docet D. Thomas in *2, 2, quæſt. 78, art. 2, ad 7.* Et ſatis indicat text. in *c. Conſultis 10, h. t.*

Sed controverſum eſt, An huiusmodi contractus venditionis totus ipſo jure infirmetur, an potiùs ad juſtum pretium revocandus ſit? Quòd certè

certè vix videtur, propter defectum consensus in venditore, qui alias rem non erat minoris venditurus. At contractus non excedunt mentem contrahentium, *l. Non omnis* 19, D. *Si certum pet.* & *l. Non solum* 10, D. *De obligat. & actionib.* E contra verius puto, contractum valere & redigendum esse ad æqualitatem, detracto excessu, propter juris regulam: Utile non debet per inutile vitari, *c. Vitale* De R. I. lib. 6, & quod eleganter responderunt Martianus in *l. Placuit* 29, & Papius in *l. Pecunia* 9, D. *De usuris*, de illegitimis usuris permittis cum legitimis, quod sustineantur quidem legitimæ, sed illegitimæ tamquam superflue reiciantur. Simile est in donatione, quæ licet legitimum modum quingentorum solidorum excedens, absque insinuatione non valeat, non tamen tota vitatur, sed tantummodò in eo, quod est supra quingentos solidos, *l. Sancimus* 34, *juncta l. penult.* C. *De donat.* Igitur venditio carius facta non in totum infirmatur, sed quod est ultra justum pretium subtrahitur.

Nec movet, quòd in majus pretium consensus sit; nam eum in majori summa in sit & minor, rectè dicitur & in minorem summam, quæ verum pretium continetur, consensus fuisse, *l. 1, § si stipulanti* D. *De verb. obligat.* & *l. Rogatus* 33, D. *Si cert. petatur*, ubi in fidejussore, qui de majore summa rogatus in minorem fidejussit, pulchrè respondetur, in minore summa consistere fidejussionem. Quibus consequens est, quòd venditor recipiendo postea solutionem majoris pretii, teneatur ad restitutionem ejus, quod ultra justum pretium est, *d. c. Consuluit.*

Eadem observanda sunt & ex parte emptoris, ut si is ideo rem minoris emit, quòd præsentem pecuniam venditori annumeret: cum & hic in usuram incidat, teneaturque quod decet justæ æstimationi, supplere venditori, ob eandem rationem, quam in venditore diximus: siquidem is v. g. qui ob præsentem vel anticipatam solutionem rem valentem duodecim emit decem, in effectu videtur mutare venditori pretium, quod numerat, & id, quod justo pretio decet, sibi reservare in vicem lucri, quod profectò nihil aliud est, quam usura, Navar. in *Manuali* c. 17, num. 206, & 227.

Atque hæc, quæ de venditore diximus rem pluris justo pretio vendente ob dilatam solutionem, restringenda sunt; nisi verisimiliter dubitetur, res quæ vendita est, pluris vel minoris vali-

tura sit tempore solutionis, nec venditor erat eam venditurus ante diem solutionis. His enim duabus conditionibus concurrentibus licita est hæc venditio, non usuraria, *text. est in d. c. Cum in civitate* & in d. c. *Naviganti hoc tit.* Prior siquidem conditio licitam reddit hæc conventionem, propter dubium eventum auctoris vel diminutoris pretii, qui utrique & venditori & emptori emolumento vel damno esse potest tempore solutionis; argumento eorum, quæ de jactu retis & futuris fructibus agri respondit Pompon. J. C. quorum emptio ideo sustinetur, quòd eorum proventus amplissimos accidere potest vel infimus, *l. Non emptio* 8, D. *De contrah. empt.* Unde etiam fit, ut è contra illicita sit conventio, quæ res venditur pretio, quo pluris valitura est à tempore contractus usque ad mensem Maii vel Julii, quia hæc conditio certa est, nullumque incommodum adferre potest venditori. Posteriolem verò conditionem requirit *Glof. in d. cap. In civitate*, communiter recepta, & probatur expressè in d. cap. *Naviganti, vers. ratione hujus dubii.* Et licet in d. cap. in civitate prior tantum conditio continetur, rectè tamen posterior additur ex d. cap. *Naviganti* quem admodum frequentissimo omnium consensu receptum testatur Covarr. *Variar. resol. lib. 2, cap. 3, num. 6, vers. ceterum, quem ibid. vide latius.*

Sed & ex parte emptoris toleratur emptio vilioris pretii, quam res est tempore contractus, si certa ejus æstimatio reiciatur in futurum tempus, puta ad proximas Kalen. Septembr. quibus incertum erit, res quanti valitura est; ob eandem rationem, & propter naturam correlativorum, in quibus quod in uno dispositum est, rectè trahitur ad alterum correlativorum, *arg. l. fin. C. De in d. l. viduit. tollen.* & *l. 1, C. De cupressis lib. 11.*

Justum verò pretium non ex affectu cujuslibet, sed ex communi hominum æstimatione metimur, *l. Pretia rerum* 63, D. *Ad L. Falcid.* Quòd fit, ut in hac re non attendatur, quanti res ante emptam fuerit à venditore, aut quibus impensis vel laboribus comparata sit, sed communis illius loci, ubi iterum res venditur, æstimatio inspicitur, eoque pretium ejus redigendum est, *d. l. Pretia rerum.* Voluti si quis ex Germania merces transebat in Hispaniam magnis suis expensis, non potest eas carius dividere, quam valent in Hispanias; alioquin quod est ultra justum loci pretium venditor teneatur restituere emptori, sicut ex sententia Conradi tradit Covarr. *Variar. resol. lib. 2, cap. 3, num.*

num. 4, vers. secundò & vers. tertio. Et sic text. in c. 1, nuali cap. 17, num. 227, cum seq. Binsfeld. in d. cap. in circuitate quasi. 3, & 4, hoc tit.

## CAPVT IV.

De fœnore nautico & terreno. Item de olla fortuna.

## SUMMARI A.

1. 2. Virum creditor possit pacisci fœnus nauticum vel terrenum.
3. Ratio decidendi quod non.
4. De pacto siue conventionione asscurationis.
5. Interpretatio c. fin. h. t.
6. Fœnus nauticum non planè sublatum esse per ius Canonicum.
7. Fideiussor an possit pacisci mercedem cum debitore principali.
8. De olla fortuna, quam Itali vocant Lotto.
9. Vsus aliarum quare prohibitus.
10. Explicatio c. Per vestras sup. De donat. inter virum & urorem.

Quæsitum est, an creditor stipulari vel pacisci possit ultra sortem sibi solvi, quòd periculum mutuatae pecuniae & per mare traiciendae in se suscipiat? Et posse constat ex concessione juris civilis, toto tit. D. & C. De nautico fœnore. Eadem est quæstio & responsio de mercibus ex mutua pecunia comparatis, si vel hæ periculo creditoris transuehantur, & eo nomine additamentum constitutum sit inter creditorem & debitorem, l. 1, in fine D. d. tit. Quod additamentum, nauticæ usuræ vel fœnus nauticum appellatur. Idem juris est de mutua pecunia periculo creditoris transferenda per loca insidiolâ, quod terrestre vel terrenum fœnus dicitur. Periculum autem hic intellige, quod fortuito casu contingit, non culpâ debitoris, l. 5, C. De naut. fœnore.

Sed illud magis quæsitum est, An illud additamentum licet jure civili permissum, ut jam dictum est, de jure Canonico subsistat, propter sententiam Christi, Mutuum date, nihil inde sperantes, Lucæ 6, quod repetitur in cap. Consuluit 0, hoc tit. Et text. in can. 1, cum seqq. xiv. quasi. 5, Difficultatem movet, quòd propter dubium eventum additamenta à factis Canonibus in mutuo permissa sint, cap. fin. § 1, hoc tit. cujus memini sup. cap. prox. qui eventus dubius in fœnore nautico potissimum spectatur, sicut & in terreno. At rectius

contrarium obtinuit in d. cap. fin. in princ. quòd utroque casu tam in nautico quam in terreno fœnore, jure Canonum usura committatur, & consequenter fœnus hoc interdictum sit. Verba d. cap. fin. hic placet repetere: Naviganti vel cunri ad nundinas certam mutuans pecunie quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Et ratio est, quòd debitor ratione mutui obligetur ad aliquid pretio æstimabile præstandum creditori, contra dictam sententiam Christi. Et jura antiè allegata.

Nec movet dubius cursus navis, vel pericula latronum itineribus insidentium; quia hæc extra rem sunt. At in mercibus venalibus, quæ quia quodammodò naturâ suâ quotidie æstimationem suam mutant, nunc accrescendo, nunc decrescendo, ac proinde tempore solutionis creditori vel debitori, emolumento vel damno sunt, idcirco additamentum ultra sortem, propter hunc incertum eventum, sustinetur ex d. c. fin. § 1.

Ceterum hic contenditur, an hæc conventio, quam vulgò Asscurationem vocamus, indistinctè prohibita sit ex d. cap. fin. in princ. Et passim obtrinit, eam non prohiberi, ubi prospectu solius asscurationis interposita est, ut videre est apud Petr. Binsfeld. in d. cap. fin. De usuris, Did. Covarr. lib. 3, Variar. resol. c. 2, num. 5, & apud Sylvestrum in Summa V. negotium num. 4.

† Ideoque d. cap. fin. sententia à nobis altius expendenda est. Et quidem video hoc cap. variè accipi, Primò, quòd ejus decisio eâ specie loquatur, ubi periculum verisimile non apparet, sed solummodò obtenditur, ut hoc quæsitio colore creditor aliquid lucri caperet. Verùm hanc interpretationem meritò reiecit Covarr. d. num. 5, vers. primum equidem, ex eo, quòd maxima immincant navigantibus pericula, & res, quæ per mare transuehantur, pluribus incommodis subiaceant, ut disertè meminit idem textus in V. periculum. Altera interpretatio est, quando pretium periculi suscepti injustum est, hoc est, excedit ejus æstimationem, non si adæquet. Quam interpretationem Covarr. tribuit Hadriano, eamque similiter im-

probat, sed minimè urgentibus rationibus. Interim non convenit ei d. *scap. fin. in pr.* cum merà conjecturà nitatur. Tertia interpretatio, eaque verior videtur, quòd decisio ejusdem *cap. fin. in pr.* tunc locum habeat, ubi naviganti seu eunti ad mundinas eà lege & non aliter mutuatur pecunia, quàm ut & simul periculum ejus creditor in se suscipiat lucralitè ejus causà. Quippe hæc conventio usuraria est, principaliter & immediatè proveniens ratione mutui; non verò, si liberè id fiat, debitorque sponte cum creditore conveniat de periculo mutuatae pecuniae in se recipiendo, certà in id mercede constitutà, quo casu licitam esse eam conventionem asserunt, Florent. Conradus, Joan. Major, Sylvester, Cajetanus, alique Theologi, ut testatur Vid. Covarr. d. num. 5, vers. secundò textus, quos & ipse Covarr. ibidem sequitur. Idem probat. Navar. in *Manuali cap. 17, num. 12*, dum hic vult, mutuante ei, qui ex Hispaniis in Flandriam proficiscitur, pacto interposito a securationis, iustoque licet pretio, peccare contra *cap. Naviganti, quod est d. cap. fin. de quo hactenus disputamus*: fecus verò, si liberè id liceat, & postea convenerit de pretio a securationis, quia id non ex mutuo (inquit) sed ex a securatione luatur; confirmatque id auctoritatibus Cajetani, Joan. Majoris, & S. Antonini. Quæ eadem retinenda sunt in mercibus ex pecunia mutua comparatis, si ve ex per mare si ve per terram itinere periculo transferantur; cum eadem subsistat ratio, ergò & idem jus, vulg. l. *Illud 32, D. Ad L. Aquiliam*.

Sed quid si merces non ex mutuo, sed aliunde sint comparatae? Puto eamdem conventionem valere, dummodò iusta sit suscepti periculi aestimatio, Covarr. d. num. 3, in fine.

6 Ex quibus consequens est, nauticum fœnus si ve usuras nauticas a jure civili permittas, non sublatas esse per jus Canonicum, eo modo, quo jam explicavimus.

7 Unde & facitè solvitur hæc quaestio, An fidejussor possit pacisci si ve stipulari à debitorum mercedem aliquam pro ipsa fidejussione? Et certius est, posse ratione periculi, quod ipsi imminet: cum forsan pro ipso debitor cogatur solvere, ut passim accidit: ac proinde iustum boni viri arbitrio pretium propter periculum potest pacisci & recipere. Et probat text. in l. *Hoc jure 19, §. Labeo D. De donationibus* & in l. *Si remunerandi 6, §. Marcius D. Mandati*, & per eodem textus Covarr. *Variar. resol. lib. 3, cap. 2, num. 6*, ubi & communem hanc opinionem esse testatur. dum tamen ex qualitate & conditione debitoris

subsit periculum; alioquin si certa sit debitoris solutio, non putat hoc pactum licitum esse tamquam ficto & simulato periculo initum in fraudem usurarum. Nam ut creditor pro officio mutui nihil potest exigere à debitorum; sic nec fidejussor pro officio fidejussionis; imò multò minus, quia hic minus officii impendit. *Videlatius Covarr.*

Occurrit hic alia quaestio mora à Petro Binsfeldio in d. *cap. fin. de olla fortunæ*. Quando scilicet, à pluribus collata pecunià, sedula singulorum nomine inscripta in communem ollam vel aliud vas coniciuntur, & deinde sigillatim expromuntur eà spe, ut, cui fors obtigerit, cedat ei lucro res quaedam magni pretii. Hic igitur quaestio est, an ea collatio pecuniarum iusta sit sub spe lucris? Prima fronte videtur, eam jure defendi non posse: ideo quòd assimiletur lusui alearum, quidam natus est, l. *fin. C. De religiosis & sumpt. suo. & toto tit. D. De aleatoribus*. Deinde nulla est a qualitas inter pecuniam collatam & lucrum, quòd ex olla capitur. At verò contractus a qualitates utrimque esse convenit, ut iustitia commutativa in commerciis hominum conferretur. Quibus tamen non obstantibus, recte apud pleraque nationes receptus est usus ollae. Nam si per se turpis esset, potissimum ex eo eveniret, quòd restora ex dubio eventu penderet. At dubius eventus non facit rem illicitam, quæ alioquin per se licita est, ut antè comprobavimus. Et rectè faciunt, qui hunc contractum revocant ad contractum emptionis & venditionis, in quo spei lucrosa emptio permittitur, veluti in jactu retis, in tractu avium, l. *Nec emptio 8, §. aliquando tamen D. De contrah. empti* & l. *Si jactum retis 12, D. De action. empti*. Nam & harum rerum veram esse emptionem satis ostendunt ea, quæ perficiunt emptionis contractum, videlicet, pretium, merx si ve res, quæ venit, & consensus, d. l. *Nec emptio, cum l. seq.* Pretium, est pecunia, quæ confertur; merx, spes fortunati eventus; consensus, ipsa conventio, expressa vel tacita, quæ inter conferentem & ollarium, id est, ollæ hujus auctorem, intercedit.

Neque impedit, quòd de usu alearum antè dictum est; cum in eo longè alia ratio subsit, curis à jure singulariter interdictus sit, nempe quòd in eo committantur blasphemiae, diu noctuque exerceatur, & lusores rebus suis facitè exuantur, d. l. *fin.* Et quòd ad inaequalitatem attinet, ea nihil officit huic contractui, cum eam non metiamur ex pecunia collata cum lucro, quòd inde forte

prove-

provenit, sed cum ipsa spe lucri, quæ cum omnino dubia sit, sustinetur instar emptionis jactus reus, vel tractus avium.

10. Restat postremò textus in *cap. Per vestras 7, vers. cum autem sup. De donat. inter virum & uxorem*. qui hic explicandus est, eo quòd à crimine usurarum vix excusari posse videatur. Verba textus prius audiamus: *Cum ergò possit ei modicum credi dotis, cui creditum est corpus uxoris. mandamus, quatenus dotem assignari faciat ei eadem sub ea, quam potest, cautione prestare, vel alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictas vir onera possit matrimonii sustentare.* Similis verò text. est in *l. Si cum dotem 22, §. si autem in savissimo D. Solutio matrim.* Hoc igitur scriptum valde torquet Dd. nostros, quomodo tradi possit mercatori dos cum participatione lucri, manente nihilominus eà salvà: Quare sunt, qui id singulari jure statutum existimant, in favorem dotis. Sed malè, cum ne quidem pro redimendis captivis fœnerari permissum sit, *cap. Super eo 4, hoc tit. Glof. verò in verb. honesti lucri*, interpretatur honestum lucrum, quod sine fœnore ex societate vel alio honesto commercio quæritur. Idem Hostien. Joan. Andr. & Panorm. *ibid.* Sed tunc alia quæstio exurgit, quòdnam honestum lucrum ex societate accipiendum sit. Hoc nimirum, ut maritus pecuniam dotalem conferat & mercator operas suas; & tamen utrique communelucrum sit, vel pro parte. Idem est, & si ipse mercator pecuniam quoque suam in eandem societatem conferat unà cum operis suis. Nam utroque casu honestum lucrum est, *tit. Inst. De societate in pr. & seq. & l. Si non fuerit 29, D. Pro socio.* At si ita inita fuerit societas, ut solus maritus lucrum capiat, & mercator non nisi damnum sentiat, improbata & non nisi leonina societas esset, *d. l. Si non fuerint §. Aristo.* Idem existimat Panorm. *n. d. cap. Per tuas num. 8.* eà specie, quæ quis depo-

neus apud mercatorem pecuniam paciscitur eam sibi salvam fore, ut tamen de lucro ejus participet. Nam & hoc illicitum pactum est; cum fieri possit, ut mercator præter operas & impensas suas amissas, ad refarciendam dotem, si qua ex parte læsa est, conveniatur. Neque obstat textus in *d. c. Per vestras*, quia licet is dotem marito consignandam esse jubeat, si cavere possit dotem salvam fore, vel saltem tradendam mercatori, cum spe alicujus lucri honesti; non tamen addit textus, id fieri oportere, salvà manente dote. Nam idem non repetit in mercatore, quod antea in marito, sicut rectè quoque animadvertit Panormit. *ibid. num. 8.* Tamen si ab hac interpretatione dissentiat Navarrus in *Manuali c. 17, num. 256, cum seqq.* dum vult, non aliam fuisse mentem Innocentii III. in *d. cap. Per vestras*, quàm ut dos integra & salva apud mercatorem maneret. Nam ob id mandat eam à marito auferri, ne si simul ad lucrum & ad damnum dos mercatori credatur, ea periculo amissionis subjiciatur. Addit præterea, Innocentium voluisse, ut certa aliqua lucri pars spectaret ad maritum pro matrimonii oneribus sustinendis. Sed cum iniquum sit, eà saltem specie, quæ mercator operas & impensas suas perdit, salva nihilominus dote; putat Navar. id non aliter posse fieri, quàm cum pacto assurationis, & lucri incerti pro certo redemptione, vel ut v. g. si pro duodecim, quæ alioqui verisimiliter ex commercio pecuniæ sperabantur, quatuor certò promittantur. De assurationis pacto id facile crediderim, item de lucro certo pro remissione magni & verisimilis lucri, ex iis, quæ antè dicta sunt. At neutrum convenit textui in *d. c. Per vestras*, qui simpliciter vult debere consignari dotem mercatori, in eum finem, ut partem honesti lucri inde maritus percipiat. Itaque prior sententia magis accommodata est *d. c. Per vestras.*

## CAPUT V.

## De usu pignoris &amp; pacto antichreses.

In Cap. 1. c. Quoniam non solum 2. & c. Conquestus 8.

## SUMMARI A.

1. *Fructus rei pignorate in diminutionem sortis referendos esse.*
2. *Facti species.*
3. *Ratio decisionis.*
4. *Furti crimine obstringitur creditor re mobili pignorate utens.*
5. *An & si re immobili utatur?*
6. *Fructus pignoris quomodo in compensationem veniant.*
7. *Fru-*

Lll 2

7. Fru-



7. *Fructus qui intelligantur.*
8. *Creditor ob expensas in rem factas retentionem habet vel repetitionem.*
9. *De pacto anticretiosos.*
10. *Pactum hoc de lucrando fructibus pignori accedit.*
11. 12. 13. *An illud licitum sit, variè contenditur.*
14. 15. 16. *Illicitum esse probatur.*
17. *Rationes contraria refutata.*
18. *Zafu, Molinet, Wesemb. Myss. Et aliorum opiniones refutata. Et seqq.*
25. 26. 27. *Unusquodque opinio improbat.*
28. *Certa conclusio, anti-crefium illicitam esse.*
29. *Cautio, ne incurramus anticretium, videl. per emptionem et venditionem.*
30. *Cerasus iudicium del. 2. Cod. De pactis inter em. pt. & vend.*
31. *Declaratio c. Ad nostram sup. De empt. & vend.*
32. *Fred. Martini explicatio non admissa.*
33. *Declaratio c. Ille vos sup. De pignori.*
34. *Solvuntur alia argumenta.*

**H**As Decretales simul conjunximus, quòd sint ejusdem argumenti. Interdicitur enim Clericis, laicis & Monachis, ne ullum genus usurarum exercent. † Proinde si ex possessionibus, id est, prædiis sibi obligatis jure pignoris, fructus perceperint, eos in exonerationem sortis suæ referre tenentur. Itaque fingamus hanc facti speciem: Titius pecunia mutuo accepta à Sempronio castrum vel aliud prædium, unum vel plura, ipsi pignori obligavit; ex quorum fructibus cum Sempronius tantum percepisset, quod ad æquare ipsam sortem, hoc est, pecuniam mutuo sumptam, iustitit Titius, ut pignus sibi redderetur. Sempronio verò creditore id recusante, & nihilominus persistente in repetitione mutui, consultus Alex. III. rescribit his Decretalibus, teneri Sempronium creditorem ad restituenda prædia pignori obligata, adeoque invitum censura Ecclesiastica ad id compellendum esse. Hoc ramē addito, si Sempronius creditor ex fructibus nondum sortem integram collegerit, hac specie suppleri eam oportere à Titio, priusquam is agere possit ad restitutionem pignorum, expensis fructuum utroque calu deductis. † Decisionis ratio est, ut si aliter statuatur, quòd scilicet fructus percepti non imputentur in exonerationem sortis, sed cedant lucro creditoris; res necesse est in crimē usurarum incidat, sicut aperte colligitur ex hac Decretali & 2. Quippe usura est, quicquid causa mutui creditor lucrificat, sive id in pecunia

numerata, sive in fructibus sive in alia re consistat, can. Si fœneraveris, cum seqq. xiv. qu. 3. His enim verbis disertè utitur text. in d. can. Si fœneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus, quàm dediti, exspectas accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dediti, sive illud vitium sit sive oleum, sive vinum, sive quodlibet aliud, si plus, quàm dediti, exspectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Excipiuntur verò duo casus in d. c. 1. & in d. c. Conquistus in fine b. t. quibus fructus perceptos lucratur creditor: sed utrumq; singulari jure, ut infra cap. sequenti explicabitur.

Ceterum hęc duplex inspectio incurrit: una, propter responsum Caii I. C. in l. Si pignore 36, D. De furtis, repetitum à Justiniano in § furtum Inst. De obligat. qua ex delicto nasci. quibus locis furti crimine obstringitur creditor, si re pignoratata utatur; quòd hęc videtur fieri, si in exonerationem sortis fructus imputandi sint. Altera est, quòd fructus ideo non possint cedere in exonerationem sortis, quòd solius quantitatis cum quantitate fiat compensatio, l. Si convenit 18, in princ. D. De pignoratitia act. l. Grege 13, §. cum pignori D. De pignori. & l. Si constat 4, C. De compensat. Sed prior difficultas facile amovetur; siquidem Caius & Justinianus indicatis locis loquuntur de re mobili in pignus concessa, qua uti creditor prohibetur, ideo quòd solius securitatis causa ipsi tradita sit. At in usu solo rei alienæ etiam furtum committitur, sicut constat ex definitione furti in l. 1, in fine D. De furtis, & in §. 1, Institut. jam d. t.

Aliud verò receptum est in re immobili (de qua in presenti agitur) in cujus usu furtum minime committitur, § quod autem verba absoluta Inst. De usucap. Sed potius permissum est creditori possidenti re immobili uti, l. Creditor 23, D. De pignori, imò & ea uti tenetur; alioqui de fructibus aliisq; obventionibus, quas culpa sua non percepit, rectè convenitur; sicut & si deteriores eam fecerit, l. 1, l. 2, l. 6, De pignori act. Quod in re immobili utilitatis causa receptum est, quæ in eo vertitur, quòd prædia rustica per culturam meliora fiant, l. Non intelligitur 33, §. d. vi fratres D. De jure fisci. Urbana verò prædia per inhabitationem magis conserventur, l. Singularum 8, C. De adif. privatis. Quod hęc adiciendum est ex jure Civili, ut non solum percepti fructus, sed etiam qui culpa creditoris percepti non fuerunt, una cum damno dato in sortem imputentur, d. l. 2, & l. 6, C. De pignori act. Nec mirum est, hanc supplementationem ex jure Civili ad has Decretales fieri debere, cum à Dd. passim approbata

probata sit hæc regula generalis, quod ubi in iure Canonico aliquid desideratur, quod extat in iure Civili, id peti debeat ex iure civili, & contra, per text. in c. 1. & 2. inf. De novi operis nuntiis. De quo fructus tractatur ab Interpretibus in c. Ecclesia S. Maria sup. De constit.

6 Altera difficultas de fructibus in compensationem deducendis ita dissolvitur, quod id fiat ratione æstimationis fructuum. Etenim fructus à creditore percepti, & adhuc extantes, non quidem compensantur cum ipsa sorte, sed iure pignoris remanent apud creditorem, donec debitum exsolutum sit. l. 3. C. in quibus causis pignus vel hypoth. tacite contrah. Quippe fructus debitoris sunt, etiam si à creditore sint facti, cum non iure seminis sed soli fructus percipiuntur. l. Qui fecit. 25. D. De usuris. Exceptis tamen bonæ fidei possessore, colono, usufructuario, & similibus, qui ob iustum titulum, quem habent, fructus suos dicitur licet alieni suos recte faciunt. l. Qui fecit. l. Bona fidei 48. D. De re acquir. rer. dom. & si quis à non domino Instit. De rerum divis. At creditor nulla alia ex causa pignus possidet, quam ut ei incumbendo securior sit de suo credito, §. fin. Instit. Quibus modis re contrah. obligat. Quamvis hoc amplius est in pignore rei immobilis, quod creditor ejus fructus recte percipiat, & perceptos licite consumat vel distrahat, juxta text. in d. l. 1. 2. & 6. C. De pignori. actione, ut & antè dictum est. Ideo quod fructus servando servati non possunt, l. fin. & fin. C. De administrat. tutor. Atque hoc modo fructus consumpti vel distracti, unà cum illis, qui percipi potuerunt, & rei deterioratione, in compensationem sive extenuationem sortis venire dicuntur; non quidem per se, sed ratione æstimationis, quâ ipso iure compensatio inducitur cum ipsa sorte, usque ad concurrentem quantitatem Joan. ab Imola in cap. Cùm contra me. 1. & 2. sup. De pignori. Panormit. in d. cap. 1. num. 3. hoc tit. Uti sit & in ceteris rebus extra quantitatem, quæ similiter propter æstimationem invicem factam recte compensari dicuntur ipso iure, §. in bona fidei Instit. De actionib. & l. ult. Cod. De compensat.

7 Ubi ramentum observandum est, fructus non aliter intelligi, quam qui supersunt deductis expensis, quæ querendorum, colligendorum, & conservandorum fructuum gratia factæ sunt, per text. in l. Si à patre vel domino 19. §. fin. D. De petit. hered. Et hoc non tantum in proposito argumento obtinet, sed & in quolibet alio possessore, etiam malæ fidei, qualis est prædo, ut scilicet & ab eo sa-

ctæ expensæ ex fructibus subducantur, quia naturalis ratio, inquit à §. fin. id postulat. Adde & l. Fructus 7. D. Solutio matrim. & l. 1. C. De fructib. & litium expensis. Hisigitur expensis subductis, quod reliquum manet ex fructibus consumptis vel distractis, æstimatione factâ, in diminutionem sortis redigitur, juxta text. nost. in d. l. c. 1. & 2. hoc tit. in verbis, deductis expensis.

8 Quin etiam creditor alias expensas in rem pignoratam, necessariò vel utiliter factas, recte repetit à debitore, vel retinet rem, donec hæc sibi soluta sint, l. Si necessarias 8. l. Si servos 25. D. De pignorat. act. & d. l. 6. C. eod. eleganter Bart. in l. Si non sortem 26. §. si centum, D. De condit. indeb. Ubi generaliter tradit, propter expensas factas in rem vel aliud debitum contractum propter utilitatem ipsius rei, dari possessori vel debitori retentionem, per text. in l. In rebus 18. D. Commodati, in l. Paulus 14. D. De doli mali & metus excepti. & in l. Si in area 33. D. De condit. indeb. Alioquin debitor sive alius ipsius rei dominus has expensas non refundens locupletaretur cum injuria alterius, contra naturalem æquitatem, l. Nam hoc natura D. De condit. indeb. & c. Locupletari De R. l. lib. 6.

Adde, & per viam compensationis cum fructibus aliisque obventionibus, has expensas, tum etiam interesse damni emergentis vel lucri cessantis, creditorem consequi, vel retinere posse, usque ad concurrentem æstimationem, dummodo hæc liquida sint, ut antè monuimus ex d. §. in bona fidei, & d. l. ult. C. De compensat. De interesse vide quæ supra cap. 1. scripsimus. Atque hæc exploratissimè juris sunt, ubi nullum pactum inter debitorem & creditorem intercessit de lucrandis fructibus per creditorem.

9 At magis disputationis est, an idem obtineat in pacto expressè convento inter creditorem & debitorem, ut tamdiu creditor re oppignorata fruatur, donec debitum exsolutum fuerit; quod pactum Græcè ἀρρητοῦς dicitur, Latine contrarius sive mutui usus, scilicet rei in pignus concessæ pro usu pecuniæ mutuæ, Alciat. lib. 2. Dispositio c. 3.

10 Atque hanc pactiōnem quidam vocant contractum antichreseos, ut And. Gail. lib. 2. observ. 3. num. 2. & Myasing. cent. 6. observ. 71. Sed minus rectè, eo quod non sit separatus contractus à contractu pignoris, sed pactum adjectum pignori, ut ejus fructus interim creditor percipiat & lucretur, donec pignus solutione sortis liberatum sit. Quod liquet vel ex duplici responso Martiani

J.C. quotum unum extat in l. Si Pecuniam 31. D. De pignorat. act. Si pecuniam, inquit, debitor solverit, potest pignoratitia actione uti ad recuperandam auctoris pecuniam cum pignus sit, hoc verbo poterit uti. Alterum est in l. Si is qui 11. §. 1. D. De pignorib. Si auctoris pecuniam, ait, facta sit, & in fundum aut aut in ad. s. aliquis inducatur, eoque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia solvatur, cum in usuras fructus percipiat aut locando, aut ipse percipiendo habitandogue.

<sup>11</sup> De hoc itaque pacto antichreseos ingens contentio est inter Dd utrum licitum sit, an illicitum, id est, usurarium. Et quidem primâ fronte videtur hoc pactum justum esse, ex jam dictis responsis Martiani J.C. usque aded licet fructuum perceptorum astinatio legitimum modum usurarum, in l. Eos §. 1. C. De usuris præscriptum, ex-cesserit, propter incertum fructuum eventum, per text. in l. Si ea lege 17. C. De usuris.

<sup>12</sup> Idem comprobare videtur jus Canonicum in e. 1. sup. De feudis, & in e. Salutariter 16. hoc tit. Quibus locis creditor pro pecunia debita fructus possessionum pignori datarum licite percipit & lucratur. Facit etiam text. in l. 2. C. De pactis inter emptorem & vendit. quo loco valet pactum venditioni fundi adjectum, ut quodcumque velit venditor, refuso pretio possit eundem fundum ad se revocare; & tamen fructus interea ab emptore percepti unâ cum restitutione fundi revenditi non veniant, sed maneat lucro emptori Castren. in l. 1. num. 3. C. eod. tit. Quem contractum nemo justè reprehenderit. Nihil autem interesse videtur, fructus rei cedant lucro alteri per viam emptionis & venditionis, an per viam contractus mutui, cum ad eundem finem tendant, e. Cum quid 39. De R. l. lib. 6.

<sup>13</sup> Quibus accedat, quod de iure non improbetur hæc conventio, ut quis fundum ad certum tempus, vel quoad vixerit, possideat, fructusque inde perceptos lucretur, per text. in e. Nuper sup. De donat. inter virum & uxorem. Cur igitur hoc pactum antichreseos in pignore improbari debeat, vix videtur. Quia & hoc pactum licitum esse tradunt Zasius, Malinæus, Wesemb. Myasing. Gail, & Binsfeldius, adhibitis tamen suis distinctionibus, ut paulô pôst videbitur.

<sup>14</sup> Sed quid distinctionibus opus est in re tam manifesta, utpote quæ aperte pugnet cum jure divino, cum sacris Canonibus, cum posterioribus Imperatorum constitutionibus, quibus omnis accessio lucri causâ facta in mutuo condemnatur, sicut à nobis supra cap. 1. latius demon-

stratum est. Et profectò, si usuræ pecuniariz in stipulationem vel pactiorem deductæ non valent, ut est omnium Theologorum & Canonistarum sententia, non video, cur secus statui debeat in fructibus rei oppignoratz, qui etsi de jure Civili propriè usuræ non sunt, tamen eodem jure in vicem usurarum percipi dicuntur, ut in l. Si is qui 11. §. 1. in verbis. cum in usuras fructus percipiat D. De pignorib. in l. Si ea lege 17. in verbis, fructus in vicem usurarum, & l. 14. C. De usuris, in l. Si servus 6. C. Quod cum eo, qui in aliena potest. & in l. Si capiti 14. ibi, ut vice usurarum domum inhabitaret C. eod. tit. De usur. Imò de jure divino & Canonico propriè & verè usuræ dicuntur, cap. Consuluit 10. h. tit. & xiv. quæst. 3. per tot. ut d. c. 1. supra latè comprobavimus.

Igitur cum certò constet, fructus pignoris à creditore perceptos, & qui percipi poterunt, in exonerationem fortis venire, per text. in l. 2. & 6. C. De pignorat. act. & d. cap. 1. & cap. 2. hoc tit. si ultra queritur, an saltem pacto effi. ci possit, ut fructus cedant lucro creditoris; siquidem hoc pactum usurarium est, d. cap. 1. & cap. 2. & ibid. in cap. 1. notant Panorm. num. 2. & Aug. Berous num. 6. Joan. de Anania num. 1. in fine. Item Panormit. in cap. 1. num. 3. vers. tertia lect. sup. de feudis, & ibid. Joan. ab Imola num. 7. vers. Unde alii & quarto, ex Dd sententia. Ubi diserte ait, quòd conveniri non possit, ut usuralicite percipiat, contra prohibitionem novi & veteris Testamenti, c. Quia in omnibus hoc tit. Usuram verò vocat hanc perceptionem fructuum. Sed & Raphael Cumanus, cons. 19. circa fin. tradit, non valere pactum de lucrando fructibus quasi usurarium sit. Idem Baldus in l. 1. Cod. De distract. pignori ubi etiam asserit, non valere pactum de lucrando fructibus loco usurarum. Quibus consonat & Did. Covarr. Variar. resolut. lib. 3. cap. 1. num. 3. aperte vocans creditorem usurarium, qui fructus pignoris ultra sortem sibi præcipuos habet. Eiusdem sententiæ est Dominic. Soto de Justit. & in l. 6. quæst. 1. art. 2. circa finem. Accedat postremò auctoritas D. Thomæ, inter Theologos Scholasticos maximi nominis, in 2. quæst. 78. art. 2. ad 6. dum his verbis utitur: Quòd si quis pro pecunia sua mutuatur obliget rem aliquam, cujus usus pretio estimari potest, debet usum illius rei illi, qui mutuavit computare in restitutionem ejus, quòd mutuavit; alioquin si usum illius rei quasi gratis superaddi velit, idem est ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quòd usurarium est.

Quo fit, ut August. Berous, in cap. Quia in em. 16. nib. circa princ. h. tit. improbet loci consuetudinem, quâ creditor non tenetur reddere pignus, nisi prius

prius fors debita sibi planè numerata fuerit à debitoribus, amissis interim fructibus à creditore pignoris perceptis; quasi ob hanc consuetudinem cessatur debitor illos fructus donare ultra sortem creditori. Improbatur inquam ex eo, quoniam ait, *Cum accipere fructus ex re pignoratam, & illos lucrari, sit propriè usura, ut in c. 1. sup. eod. tit. & in cap. 2. cum similibus profectò non poterit induci seu effici licitum ex consuetudine loci certi, cum nec sufficeret consuetudo in universali totius orbis. Et movetur hac ratione, Quod id, quod reputatur illicitum ex dispositione juris divini, veteris & novi Testamenti, & à lege Canonica, ob generalitatem & universalem consuetudinem totius orbis non efficitur licitum. Quod argumenti genus futilissimè persequitur Royfus in decisionibus. Lituanicis decis. 5. num. 87. cum seqq. Quo loco & hanc consuetudinem refellit, & quidem rationibus gravioribus. Ex his igitur liquiddè evincitur, pactum antichresis esse illicitum, & tamquam usurarium è Republ. explodendum. Neque enim ratio patitur, ut quod per se est illicitum, ut usura, pacto fiat licitum.*

17 Nec movent jura & rationes suprà in contrarium allatae. Nam quod attinet ad *Si pecuniam D. Depignorat act. cum similib.* mirum non est, his iuribus permitti antichresin, cum ex jure Civili desumpta sint, quo & usurae impudè permittuntur, sicut constat ex toto tit. *Dig. & Cod. tum & ex aliis locis*, in quarum vicem eodem jure succedit ex conventionione partium hæc antichresis, *l. Si quis 11. §. 1. D. De pignoris & d. l. Si ea lege C. De usuris*. Sed aliter de jure divino & Canonico, quo hac in re utimur, teste èto jure Civili, ex ratione & *fin. sup. De prescript. ut & fatetur Petrus Costalius in l. Si pecuniam 33. D. Depignorat act.* Quod attinet ad *c. 1. sup. De feudis*, infra cap. seq. respondebitur.

18 Jam ad Zafium, Molinæum, aliosque, qui antichresin tamquam licitam exculare conantur, deveniamus.

Itaque Zafius in *l. Rogasti. §. si tibi D. Si certum per* prout citatur à Frid. Martini in *tract. de censib. c. 1. numer. 12 §.* putat antichresin tunc usurariam vitio laborare, ubi à fœnatore exercetur, non si ab alio probo viro. Sed hanc distinctionem merito idem Frid. Martini loco citato refellit, quod fundamentum carcat; siquidem hic tantum modò controvertitur, utrum antichresis naturà suà licita sit, an usuraria: si licita, non solum à probo viro, sed & à fœnatore rectè exercetur: si usuraria, ne quidem à probo licitè celebratur.

19 Molinæus in *tract. Commere. & usur. quaest. 35. num.*

299. cum seqq. distinguit inter antichresin temporariam & antichresin perpetuam: quarum illam, quæ ad certum tempus limitata est, valere æsserit; perpetuam minime in præjudicium debitoris, neque eum obligari, quin quodcumque voluerit fundum repetere, & à creditore etiam fructuum rationem exigere possit. Refert eum Andr. Gail. *lib. 2. observ. 3. num. 3.* Sed profectò non video, quo jure aut ratione hæc distinctio defendi possit, cum in antichresi temporaria etiam prospectu mutui fructus veniant & cedant emolumento creditori pignoris. Quod & haud dubiè usurarium est, uti constat ex his, quæ ante cap. 1. & hic fusè deduximus.

Matth. Wesemb. in *p. 1. conf. 2. num. 90 & seq. ut 20* observavit Frid. Martini, *sup. cit. loco num. 128.* existimat antichresin esse contractum emptionis & venditionis, cum pacto retrovendendi. Sed huic apertissimè refragatur Martianus J. C. in *d. l. Si pecuniam 33. D. Depignorat act. ibi. nam cum pignus sit.* Idem Martianus in *d. l. Si us 1. §. 1. D. Depignorat. in verbis,* retinet possessionem pignoris loco. Uterobique vocat antichresin pignus, non quidem nudum, sed pacto informatum. Quo fit, ut & Cujacius de *Fœd. lib. 2. cap. 3. in fine* hanc sententiam expressè improbet, *præcessit, inquit, pecunia debita, cuius nomine respignori obligatur. ea lege. ut creditor fructus non computet in sortem, ut quo non aliter rem eam debitori restituat, quam omni pecuniâ solutâ.* Est igitur pignus, non venditio. Ita Cujacius.

Joachim Mynfingerus, *cent. 6. observ. 71. sim. 28* simpliciter affirmat antichresin licitam esse propter incertum fructuum eventum, etiam si fructus legitimum usurarum modum interdum excedant, *per text. in l. Si oleo, l. Si pactio, l. Si ea lege C. De usuris.* Sed vides, lector, quibus iuribus hanc suam sententiam confirmet, videlicet ex legibus civilibus jam allegatis. Eodem modo potuisset probare etiam usuras permissas esse *ex toto tit. Dig. & C. De usuris.* Utrumque enim quoad leges civiles expediti juris est. At de jure Canonico, quod in hac re sequimur propter peccatum, *cap. fin. sup. De prescript. ut & idem fatetur Mynsing cent. 4. observ. 6. num. 3.* licitam esse antichresin nemo rectè dixerit, eo quod juri divino adversatur, *cap. Consuluit 10. hoc tit. ut supra latius explicatum est.* Quod mirum est, non considerasse Mynsing cum & alibi asserat *Dd. dicta secundum leges, quas allegant, exaudienda esse, cent. 5. observ. 61. num. 6 & Joann. Andree in cap. Cum nuntius prope fin. sup. De testib.*

Andr. Gail. *lib. 2. observ. 3. num. 5.* licet hic non 22 expli-

explicatè sententiam suam proferat, tamen in id videtur proclivior, quòd antichrestis usuraria sit, quando creditor sui tantum quæritus & emolumentum gratia eam celebrat: contra verò licita sit & inculcata, si iurandi solummodò debitoris causa eadem contracta sit. Nam hoc posteriore casu (inquit) non offenditur dilectio proximi, quæ in materia usurarum omnium maxime consideranda est. Verum nec hæc distinctio fundamento nititur; cum negari non possit, creditorem etiam posteriore casu lucrum quærere prospectu mutui sui. Et quæ, obsecro, dilectio proximi in antichrestis in qua fructus rei oppignoratae creditor debitori suo aufert, & in usum suum convertit cum damno ipsius debitoris, idque ob pecuniam mutuo datam & acceptam, quæ alioquin otiosa erat apud creditorem? (nam de non otiosa, ratione interesse supra cap. 1, discerimus.) *Simultaneum dederitis his*, inquit Christus Lucæ 6. *à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus scenerantur, ut recipiant aequalia.*

33 Refert idem Andr. Gail. *d. num. 5, sententiam Gabr. Mudæi in tract. de Pignorib. & hypoth. cap. de pactis legis commiss. num. 34*, ubi asserit Mudæus, pactum creditoris de habendo pignore non quidem perpetuò, sed ad tempus, donec pecunia solvatur, non esse improbatam legem commissoriam, sed permissam antichrestis. Sed cum ipse Mudæus, ad probandam hanc sententiam suam, adducat tantummodò textum juris Civilis, in *l. Si u qui bona* 11, §. 1, *D. De pignorib.* non aliter exaudiri debet quàm secundum jus Civile, ut paulò antè diximus in refutatione Mynsingeri.

Affirmat quidem idem Mudæus *d. tract. de Pignorib. cap. de pactis pignor. num. 35*, pactum antichresteos non fuisse in cognitum sacris Canonibus: sed cum ibidem addat, *fortè*, videtur hæsitare sive dubitanter loqui. Interim probare nititur *per c. 1, sup. De feudis*, quo sententia sua minimè juvatur, cum singularem causam contineat, ut infra cap. seq. declaratur.

34 Nec ratio Mudæi quicquam evincit, cum ait: *Nam alioquin quis creditor vellet multis in colendo fundo pignorado molestiis particulatim sibi solvi, & vix tandem ex fructibus multorum annorum colligi creditum, quod unà vice numeravit; cum particularis solutio multa habeat incommoda, l. Pland. D. Familia ercisc.* Nam responderetur, creditorem sibi imputare debere, quòd, cum nullo jure cogere ad mutuandum, hanc sibi necessitatem iniecerit, ut ex fructibus rei pignorate vellet sortem suam colligere, juxta

text. in *l. 1, & l. 2, C. De pignorat. act. & cap. 1, & c. 2, h. t.* Quippe contractus initio voluntatis sunt, postea necessitatis, *l. Sicut C. De act. & obligat.* Quamvis & hac molestia creditor se liberare possit, non recipiendo in se pignus, sed debitori relinquendo sub hypothecæ nomine, adjecta lege, ut, si statuto die mutuum solutum non erit, liceat creditori possessionem hypothecæ sua sponte ingredi, juxta *l. 3, & que ibi notant Dd. C. De pignorib.* & eam postea vendere, ut sortem suam ex pretio una vice consequatur, *per text. in l. fin. vers. sanctimus C. De jure domini impetr. & in l. Si convenit 4, D. De pignorat. act.*

Ultimò quod ad Petr. Binsfeldium attinet, hic in *c. 1, h. t. q. 2, concl. 1, & 2*, arbitratur creditorem licitè posse fructus pignoris sibi ab aliquo Principe indigente in antichrestis concessi, percipere & lucrari, non quidem integros, sed quatenus correspondent justæ pensioni pro legibus & consuetudine patriæ. Citat pro hac sententia Conrad. Major. & Carolus Molina. quam & confirmat duabus rationibus. Una, *Si non esset licitum*, inquit, *talis contractus, maxime quia talis mutuatio esset usuraria, utpote quia mutuando vellet percipere fructus, non computando eos in sortem: sed hoc non arguit, cum non sit mutuatio. Arguit nec usura, quæ supponit mutuationem; cum in casu nostro sors non possit revocari, quòd est contra naturam mutui.* Altera est. *Talis contractus in virtute videtur emptionis & venditionis reddituum cum pacto de retrovendendo, cum sors alienetur, nec possit repeti, & fructus pignoris, deductis expensis, sint loco justæ pensionis.* Quare etiam moderantur ad rationem moderatam & taxatam pensionis pro more & statutu provincie & patriæ. Ita Binsfeldius. Quæ rationes si veræ essent, non tantum concluderent in Principe indigente, de quo solum Binsfeld. loquitur, sed & in quovis alio debitore, qui pignus antichrestis concessit.

Ceterum nec hæc rationes mihi probantur, quia prior est præsupponat conventionem antichresteos non esse mutuum, ut verissimum est, negari tamen non potest, quin in eam propter mutuum sive mutuationem præcedentem, dato pignore cum pacto antichresteos: cuius vicum lucraretur creditor fructus pignoris, merito in usuram incidit, *can. 1, 2, & 3, xlv. q. 3, c. 1, c. 2, & c. Consuluit 10, h. t.* Neque ideo cessat mutuum, quòd non possit pro arbitrio creditoris repeti, cum id ipsum non pertineat ad essentiam mutui, quæ est, ut idem in genere reddatur, *l. 2, in princ. & l. 3, D. Si certum pet.* Sed potius pertinet ad naturam

turalia contractus mutui; quod vel inde liquet, quod mutuum contrahi possit ad certum tempus, puta ad Kalendas proximas, vel ad duos, tres, vel siue plures annos, *l. Lecta 40. D. Sic certum siue & communiter mutuum in diem certum restituendum contrahi solet: & tamen nemo recte dixerit, ut quia interea temporis pro arbitrio creditoris mutuum reperti non possit, ideo extinctum esse mutuum, aut transisse in alium contractum, contractus Insit. Quibus modis tollitur oblig. Etenim essentialia contractus pactionibus mutari non possunt, ut idem maneat contractus, sed naturalia possunt, salvo manente contractu, *l. Pacta conventa 72. in princ. D. De contrah. emptione & l. iuris gentium 7. §. adio D. De pactis.**

27 Sed neque altera ratio quidquam efficit; non enim potest dici, talem conventionem habere vim emptionis & venditionis reddituum; cum longe ab eo contractu distet. Nam in constitutione redditus per emptionem & venditionem, principaliter & verè contrahitur emptio & venditio, cum in ea hæc tria concurrant, consensus contrahentium, pretium certum, & res, quæ in emptionem & venditionem deducitur, ut est ipse redditus siue obligatio annua ad præstandam certam pensionem; ita quod hæc etiam simul juncta perficiant emptionem & venditionem, *tit. Insit. De empt. in princ. & §. pretium, & l. Nec emptio 8. cum l. seq. D. De contrah. empt. sicut infra cap. 10. latius demonstrabitur. At in antichresi fructus pignoris veniunt per modum accessionis, idque in vicem usurarum, propter pecuniam mutuo datam.*

28 Ex his patet, quam variè Dd. sentiant de hoc pacto antichresios, & quam lubricæ, ne dicam absurdæ sint eorum rationes in eo defendendo. Unde nihil illis impediens, certa à nobis regula hæc constituenda est, quod i pactum antichresios licitum sit, eo quod usurarium, & consequenter absque peccato exerceri non possit, sed fructus perceptos cum iis, qui percipi potuerunt ex pignore, & damno in pignore dato, in extinctionem sortis imputari oportere; & si quid fortè; his subductis, supererit, restituendum esse debitori, salvo tamen & ipsi creditori expensis in rem factis, & si quid aliud ipsi haberit ratione interesse, ut antè diximus. Quod certè non potest accommodari ad pensionem lege vel consuetudine patriæ receptam, ut Binsfeld. vult; sed pro ut interesse ipsa probabitur à creditore, juxta ea, quæ supra cap. 1. de interesse dicta sunt. Et me-

mini non ita pridem in hanc sententiam respondisse Collegium Juridicum hujus Academiæ Ingolstadtensis in causa cujusdam Baronatus annos circiter centum oppignorati cum pacto antichresios.

Ne autem in hoc pactum usurarium antichresios temerè incidamus, prudenter monet Domin. Soto de iustit. & iure lib. 6. quest. 1. art. 2. in fine, ut creditor rem, quam alioqui debitor pignori destinaverat, certo pretio emat, cum pacto retrovendendi. Nam hoc casu fructus aliaque obventiones lucro emptori cedunt. Et rectè, cum jam ex re sua creditor eas percipiat, *l. Qui scit 15. D. De usuris.* Et hoc pactum retrovenditionis siue potius revenditionis (nam & verbo revendendi utitur textus in *l. Iulianus 37. D. De bonis libertor.*) esse licitum etiam in foro conscientiæ, multis auctoritatibus probat Andr. Tiraquellus de retractu convent. in præfat. num. 2. cum seq. ubi pro hoc allegat locum *Levit. 25. cap. Cuncta regio possessionis vestra sub redemptionis conditione venditur* Probat & Martinus V. & Calixtus III. constitutiones in *Entravag. communib. sub tit. De empt. & vendit.* dum hi apertè censent annuos census redimibiles licitos esse, non usurarios, prout infra cap. 10. latius explicabitur. Quare & Mart. Navarr. in *Manuale cap. 17. nu. 148.* idem hoc pactum tuetur, siue intra certum tempus, quo res redimi debeat, conceptum sit, siue sine præfixione temporis. Nam utroque casu licitum asserit, per text. in cap. *Cum Ioannes De fide instrumentor. l. Fundi partem D. De contrah. empt. l. Si fundum, l. Si à 15. Cod. De pactis inter empt. & vendit. & Levit. 28. secundum Holticof. Joann. Andr. Panormitan. & communem Canonistarum in cap. *Ad nostram De empt. & Logistarum, in dict. l. Si fundum, Cæpol. de simulat. casu 2. & omnes Theologos in 4. lib. Sentent. dist. 15.**

Et de eodem hoc pacto, ut multis placet, loquitur *l. 2. C. De pactis inter empt. & vend. sicut ibidem nuncupatum notant Angelus & Paulus Castrensis, teste Tiraq. d. præfat. num. 2.* Idem placet Panormitano in cap. *Cum ad nostram numer. 8. sup. De empt. & Navarr. d. num. 248.* Licet vehementer repugnet Joann. Corasius *Miscel. lib. 3. cap. 9.* cum in dicta *l. 2.* ne quidem fiat mentio pacti retrovenditionis, sed tantum de restituenda re, oblato pretio; sic enim habent verba *l. Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut si vos ipsi siue heredes eorum emptori pretium quandocumque vel intra certa tempora obtulerint, restituatur, reque parato satisfacere conditioni dictæ.*

dicitur, hec emptoris non pariet, ut contractus fides servetur, actio præscriptis verbis vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum, qua post oblatam ex pacto quantitate, ex fundo ad adversarium pervenerunt. Ecce textus d. l. 2. utitur verbo restitueretur, non revenderetur. Inter utrumque eam differentiam esse vult Corasius, quod verbum *Revendere* nudum tantummodo factum contineat, ac proinde emptor revendere rem emptam præcisè cogi non possit; sed id tantum quod interest præstare, sicut evenit in aliis faciendi obligationibus, l. Si quis ab alio 12. §. fin. D. De re judic. Verbum verò *Restituere* contineat causam bonorum, hoc est domini translationem, l. In conventionalibus 52. §. 1. D. De verb. obligat. De qua differentia hic non anxie quaero, quia majoris inspectionis est. Interim certissimum est, ex oblatione pretii in d. l. 2. nullam de novo emptionem contrahi, sed tantum ex vendito & præscriptis verbis agi; quæ utraque actio ex primo contracto oritur. Sed utrumque sit, si ve dicatur, d. l. 2. pactum contineri revenditionis sive pactum restitutionis (quod proprius videtur) utrumque validum & firmum est. Nec enim interesse video, actio à venditore intentetur ad revendam rem antea emptam, vel intentetur actio ad restituendam rem, refuso pretio: dum tamen in fraudem usurarum hoc pactum adjectum non sit emptioni & venditioni, ut in specie d. cap. Ad nostram sup. De empt. & in cap. Illo vos 4. De pignori. Nam in d. cap. Ad nostram, ex duobus colligitur, non fuisse vere celebratam emptionem & venditionem, sed simulatam; quod scilicet pactum restitutionis adjectum vix dimidiam justi pretii partem attingeret, & simul res in contractum deducere redimi non possent, nisi elapso septennio; ut ita interea temporis emptor lucraretur fructus. His enim verbis utitur text. *Demos & olivas recepit ab eodem titulo emptionis, cum reverà contractus usurarius ageretur. Quod patet ex eo, quod creditor debitori promisit, quod quoadcumque à septennio usque ad novennium daret quadraginta uncias tarenorum, quæ vix dimidiam justi pretii contingebant, domos ejus restitueret & olivas.* Igitur ex duobus sibi junctis colligit S. Pontif. x. in c. Ad nostram, emptionem non succedere, sed fucate celebratam fuisse, in fraudem scilicet usurarum, quod & ibid. num. 10. animadvertit Panormit.

Quare miror Eridesium Martini, virum aliquo doctissimum, & quondam hujus Academia Ingolstadtensis Ant. celsorem, in tract. de Censibus

cap. 6. num. 228. his duobus non fuisse contentum, ad arguendum contractum usurarium: sed præterea addit, in specie d. cap. Ad nostram simul quoque concurrere, præter pactum de retrovendendo, etiam laesionem circa pretium, tum & venditorem mutua pecunia exegisse & emptorem fœderari consuevisse; item quod pactum redimendi fuerit restrictum ex tempore ad tempus certum. Quæ certe omnia concurrere in specie d. c. Ad nostram aperte non eruitur, præsertim, quod emptor fœderari consueverit. Sed S. Pontif. ante memini, fundamentum decisionis suæ collocat in simulato contracto emptionis, eo quod relutio pignorum certo tempore, puta à septennio ad novennium, circumscripta erat, & interim fructus lucro emptoris cederent, quod usurarium est. Cujus suspicionem ex eo magis confirmat, quod redemptio pignorum multo minori justo pretio esset constituta; cum alioqui nemo facile præsumatur suum iactare, vulg. l. Cum de in debito 25. vers. qui enim solvit D. De probatione & cap. Super hoc 5. sup. De renuntiat. Neque, ut & hoc addam, in d. cap. Ad nostram agitur de pacto retrovenditionis, ut alii desperato existimant, sed de pacto solius restitutionis pignorum, sicut & in d. l. 2. C. De pactis inter empt. & vend.

Quo verò ad cap. Illo vos 4. De pignori. similiter ibidem præsumitur contractus emptionis & venditionis simulatus, & usurarius, ex duabus conjecturis simul concurrentibus, quod scilicet fructus ab emptore percepti imputarentur in sortem, & quod ultra sortem venditor idemque redemptor teneretur solvere sexaginta solidos, ut videre est in fine ejusdem capituli.

Nam licet hæc conditio, ut fructus in sortem imputentur, non sit contraria natura contractus venditionis, est tamen propria pignoratitii contractus, l. 1. l. 2. & l. 6. Cod. De pignorat. act. & ideo conjuncta cum altera conjectura, ut ultra sortem sexaginta solverentur, præsumptionem usurariam inducit, de quo latius Tiracq. in d. tract. de retractu convent. in præfat. num. 31. cum seq. Did. Covarr. lib. 3. Variar. resolut. cap. 9. num. 2. & Felicianus de Solis in Comment. de Censib. lib. 1. cap. 6. circa fin. ubi refert, contractum carere vitio, in quo adjecto pacto convenit, ut revenditio fiat majore pretio. Item licitam esse pactiorem, quâ & cum sortem principalem computatis. Utrumque is elicit ex d. cap. Illo vos. Verùm contra Mart. Navar.

ius in *Manuali cap. 17. num. 248. vers. secundum*, im-  
probat illam conditionem, ut res majore pretio,  
quàm empta est, redimatur, per text. *eiusdem cap. 11.*  
*lo vos*. Sed hic textus in duobus se fundat, ut antè  
dictum est; ita quod Navarrus eo se tueri non pos-  
sit. Puto tamen ejus sententiam veram esse, ubi  
major quantitas in odium redemptionis adjecta  
est, ut hac ratione retrahatur venditor à redi-  
mendo, pro quo optimè facit text. in *l. Iulianus 14.*  
*§. ibidem Papinianus D. De act. empt.*

Restant duo argumenta dissolvenda, quæ su-  
prà nu. 12. & nu. 13. movimus, ex cap. 1. & c. *Salubri-*  
*ter hoc tit.* & ex c. *Nuper 6. De donation. inter virum &*  
*uxor.* Sed prius argumentum commodiùs rejici-  
mus in caput proximum. Nisi quod & ibi citavi-  
mus *l. 2. Cod. De pactis inter empt. & vend.* ubi dixi-  
mus, pactum hoc venditioni fundi adjectum va-  
lere, ut quandocumque velit venditor, refuso  
pretio possit eundem fundum ad se revocare,  
cùm tamen interea emptor percipit fructus suos  
faciat, cur non item in antichresi? Diversitatis  
ratio hæc est, quòd emptor rei à se empta factus  
dominus, rectè eisdem fructus lucratur tam-  
quam ex re sua provenientes, *l. Qui sit 2. D. De u-*  
*suris*. At secus est in pignore, cujus dominium

cùm in creditorem non transeat, fructus ejus  
tamquam rei alienæ non cedunt lucro credito-  
ris; sed ad restituendum vel imputandum eos in  
sortem tenetur, prout suprà dictum est. Nec  
quoque movet, quòd antichresis & emptio in  
eundem finem tendant, videlicet ad lucrandos  
fructus rei: quia in modo diversitas est, cùm em-  
ptio licitus modus sit, antichresis illicitus, ut po-  
te usurarius. Simili ratione videmus hæredita-  
rem rectè testamento relinqui, non verò pactio-  
nibus, *l. Hereditas 5. C. De pactis conventis. Et l. Licet*  
*19. C. De pactis*. Nam & in his modis diversitas est.

Quo verò ad argumentum ex d. c. *Nuper*, re-  
spondetur usum fructumque suadilicite concedi  
alteri per viam donationis sive liberalitatis, *l.*  
*Permissi 16. §. fin. l. Si gratuitam 17. in princ. D. De*  
*prescriptis verb. Et l. Aquilius 27. D. De donat. quem-*  
*admodum & per viam commodati, l. 5 §. 2. Com-*  
*modati*. At per viam mutui illicitè fructus fundi  
conceduntur, cùm in mutuo ea tantummodò res  
in obligationem veniat, quæ data fuit: & ideo si  
quid amplius ejus ratione à creditore petitur vel  
retinetur usura est, *l. Rogasti 11. §. si tibi decem & ibi*  
*Accurs. D. Si certum petatur, cum iis, qua hæctenus di-*  
*ximus*.

## CAPUT VI.

Casus, quibus antichresis jure permessa est.

## SUMMARI A.

1. Quibus casibus licite percipiuntur fructus rei oppig-  
norate.
2. Explicatio c. 1. in fine hoc tit.
3. & 4. Cap. 1. de feudis & c. Conquestus hoc  
tit. & de ratione utriusque.
5. Hostiensis sententia probatur contra Covarr.
6. 7. De cap. Salubriter hoc tit. & de ejus ratione.
8. Tuzior ratio ipsius textus quàm qua à Dd. fingitur.

Quæ de antichresi superiore capite disse-  
ramus, non sunt perpetua; habent enim  
suas limitationes sive exceptiones, ut vul-  
gò recepto more loquimur, seu, ut ego malim,  
suas declarationes, ita quòd sub antichresi pro-  
prie non comprehendantur. Una earum est in cap.  
1. hoc tit. ubi cum Alexander III. S. Pontifex in  
Concilio Turonensi decrevisset, ne quisquam  
Clericorum genus aliquod usurarum exerceat, tan-

dem in fine ejusdem cap. hæc verba subjicit: *Nisi*  
*fortè Ecclesia beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc*  
*modo de manuali videtur*. Hæc igitur una excep-  
tio est sive declaratio, quæ antichresi permessa  
est. Siquidem ex his verbis textus constat, Cleri-  
cum posse beneficium sui fructus à laico injuste pos-  
sessi & sibi pro mutuo obligati, licite percipere  
& retinere; ita quòd non cogatur eos in extenua-  
tionem sortis referre. Et ratio est, quia hæc specie  
nullum lucrum facit Clericus (quod alioqui ne-  
cesse est in usura, ut sup. cap. 1. latius deduximus)  
sed potius hac viâ redimit id, quod ad se legitime  
spectabat. Quod & Glossa *ibid.* rectè transfert ad  
quemvis laicum, ut & is non minus possit hac ea-  
dem via possessionem rei suæ avocare ab injusto  
possessore. Suadet enim id eadem ipsa æquitas. In  
quam rem confert elegans textus in *can. Dominus*  
*xxiii. quæst. 1. Et in l. fin. D. De condict. ob turpem cau-*  
*sam*. Nam hoc posteriore textu is, qui pecuniam  
accepit ejus nomine, quod alioqui gratis præsta-

M m m 2 10 de



re debebat, puta, ut depositum apud se redderet, vel commodatum restitueret, turpiter agere dicitur; atque idcirco ad restituendum quod accepit, condictione ob turpem causam tenetur. Idem igitur rectè & in Clerico rescriptum est in d. c. 1. ut & is beneficii sui fructus, qui iure ad se spectant, per pignoris causam recuperare possit.

Altera exceptio siue declaratio est in *Conquestus* 8. in fine hoc sit. quò feudi dominus fructus rei feudalis in pignus sibi concessit à vasallo licitè quoque retinet, neque tenetur eos in exonerationem sortis impurare. Similis textus exstat in g. 1. sup. De feudis. Sed huius cap. 1. quod plenius est, contextum audiamus, cuius verba sunt: *Institutione presentium declaramus, quòd gageria, id est, hypotheca (ita enim hoc verbum interpretatur Hostiens. ibid.) quam de feudo Ecclesia tua ab M. digno feceris recepisse, à te potest libere detinere, si fructibus non computatis in sortem; ita videlicet, ut quamdiu fructus illos percepit in sortem minime computandos, idem M. a te vultis, in quo tibi & Ecclesia tua pro feudo ipso tenetur, interim sit immunitis.*

In reddenda huius exceptionis ratione multum laborant interpreteres. Glossa ibid. in V. immunitas, hanc rationem addfert, quòd id receptum sit in favorem Ecclesie, ut eò citius feudum ad Ecclesiam revertatur, quasi ex Glossæ sententia aliud observandum sit in laico. Sed hoc commentum Glossæ rectè ibid. rejicit Panormit. Si enim legitime concessum est feudum, profectò non debet Ecclesia ideo usuram committere, ut hac via utilitatem feudi ad se revocet; cum ne quidem pro alterius vitæ redimenda usura permittatur, e. *Super 4. hoc sit.* Ceteras rationes vide apud Panormit. & Joan. ab Imola in idem c. 1. quas hic non attinet repetere.

Quarum tamen optima videtur, hæc Hostiensis, quòd scilicet id proveniat ob naturam feudi, cuius directum dominium mansit penes ipsam Ecclesiam. Unde si postea, mutata voluntate vasalli per causam pignoris, utile dominium recurrat ad directum, consolidatur quodammodo utile cum directo dominio; ut hinc Ecclesia non tam dicatur ex alienare fructus percipere, quam ex re propria. Interim liberatur vasallus ab obligatione, quæ Ecclesie antè obstrictus erat, d. cap. 1. Atque hanc rationem probare etiam videntur Panormit. & Joan. ab Imola in d. cap. 1. Dominicus Soro de iust. & iure lib. 6. quæst. 1. art. 2. post med. & communem ass. caput Osidae. Covarr. Variar. resp. lib. 3. c. 1. m. 4. Ad eò quòd decisio ejusdem c. 1. & d. c.

*Conquestus* in fine, locum sibi vindicet tam in laico quam in Clerico. Quamvis eam conetur infringere idem Covarr. loco jam citat. ex eo, quòd falsum putet, per dationem pignoris consolidari utile dominium cum directo, imò, ad dir. debitor utilis dominus adhuc manet, & ejus nomine fructus à creditore percipiuntur. Præterea, etiam si fateamur, inquit, dominium utile consolidari hac specie cum directo, minime tamen labem usura effugimus, siquidem lucrum hoc consolidationis ultra sortem ratione mutui accipitur, & ideo ipse usura committitur.

Unde ipse aliam rationem reddit, ex sententia Innocentii & aliorum; quòd ideo fructus feudi oppignorati cedant ipsi domino, quia frequentissime, ait, fructus rei feudalis sunt ejusdem æstimationis & valoris, cuius ipsa servitia ipsa opera, quæ ratione feudi à vasallo debentur domino. Cui consequens esse vult, ut, si fructus excedant æstimationem servitiorum, non aliter eos lucraret dominus, quam quantum cum servitiis concurrunt. Quæ ratio non videtur convenire textui in d. c. *Conquestus*. Quare potius, textum ipsum loquentem audiamus: *Conquestus est nobis C. Clericus, & inf. Discretioni vestra mandamus, quatenus si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem accepistis, prædictam terram Clerico memorato reddatis, nisi terra ipsa de feudo sit monasterii vestri.* Ecce generaliter statuit S. Pontifex, fructus rei pignoratæ in sortem imputari debere, præterquam ubi ipsi domino feudum pignoris nexu obligatum est. Et profectò non video (si hæc à præcedentibus verbis vera limitatio est, ut vera est) cur non similiter debeat intelligi de fructibus feudi à domino perceptis, ut hi omnes lucro cedant domino, non quidem in compensationem servitiorum remissorum, justà eorum æstimatione factà; sed ideo, quòd amplius apud vasallum non sit feudum, cuius causà servitia debebantur, atque idcirco cessante causà, cesset quoque effectus ejus, hoc est, feudo jam ad dominum reverso, tamquam causa, cessent quoque servitia, cap. *Cum cessante* 60 sup. De appellationibus. Tiraq. in tract. *Cessante causa* nu. 195. Nec certè video, quomodo hoc casu servitiorum æstimatione iniuri possit, cum ea incerta sint, & non tantum in operis præstandis versentur, sed & in submiolstrando consilio, in monendo dominum, si quid forte malificii in eum intenteur, & c. de quibus in libro Feudor. cap. de forma fidelit. cum cap. seq.

Quòd sit, ut Hostiensis rationem magis convenire existiment textui in d. c. *Conquestus*, & in d. cap. 1. sup. De feudis, eo quòd simpliciter loquantur,

nullâ compensationis fructuum cum oneribus feudi mentione factâ.

Ubi tamen meminisse oportet, ut si feudum curâ & industriâ vassalli cultius & fructuosius redditum sit, quàm fuerit tempore investituræ, quoddam hæc specie non integri fructus cedant domino, sed redigendi sint ad quantitatem ejus temporis, quo feudum concessum est: ut sic fructus ex nova causa percepti ipsi vassallo restituantur. Quod et si neget Dominicus Soto *dist. art. 2.* ideo quoddam vassallo onere excolendi feudi liberetur; tamen suadet omnino æquitas, ut æstimatio ejus, quo melius factum est feudum, vassallo, non domino cedat.

6 Tertia exceptio sive declaratio desumitur ex *cap. Salubriter 16, hoc tit.* ubi gener fructus possessionum, id est, agrorum pro dote sibi obligatorum, rectè percipit, neque in dotem nondum sibi traditam imputat. Sed & hæc verba textus audiamus, ut eo res explicatio sit: *Sane generum, inquit, ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote obligata, computandos in sortem non tradimus compellendum; cum frequenter dote fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.*

Ubi animadvertendum est, quod textus ait, pro numerata dote exaudiendum esse, pro promissa dote, ut & interpretatur Hostiensis, & Joan. Andrez, & omnes Dd quos mihi viderelicuit, nisi textum supplere velimus hoc modo, pro numerata dote & rursus recepta a socero, ejusque nomine assignatis genero possessionibus. Idque proprius mihi videtur, ne à propria verborum significatione temerè discedamus. *argum. l. Non aliter 67. D. De legatis.* Sed & res in idem recidit, siue dicamus pro dote numeranda, siue pro dote numerata quidem, sed non plenè tradita possessiones pignoris obligatas esse. Semper enim superest hæc quaestio, utrum gener fructus possessionum licitè lucretur, vel computare eos teneatur in extensionem dotis nondum exsolutæ, vel certè cum effectu nondum traditæ? & expressè negat textus in *d. cap. Salubriter*: cui consequens est, ut lucro cedant genero sive dote, quod profectò tamquam usurarium adversari videtur. *l. c. 2, sup. h. t. & iis, quæ antè tradidimus de antiehesi.*

7 Quare in hujus rei constituenda ratione vehementer contendunt Dd. nostri: sicut videre est apud Dd. Covar. *lib. 3. Var. resolut. cap. 1, num. 3, & 4, & Mart. Navarrum in can. Si fuerit verus xiv. quest. 3, num. 64, in tract. de Usuris.* Sunt, qui id fieri existimant propter interesse damni emergentis

vel lucri cessantis: ut quia gener ob non solutam dotem, patrimonii sive suarum rerum jacturam patitur, accipiendo scilicet pecuniam sub usuris, vel annuos redditus emendo pro oneribus matrimonii sustinendis, aut omittendo lucrum, quod aliàs ex dote facturus erat. Et hæc ratio passim à Dd. probatur. Sed planè eam rejicit Navar. *d. n. 64*, eo quòd non conveniat textui, aut si conveniat, nullum discrimen superfit inter dotis & alterius rei debitum, quòd absurdum putat. Alii putant, quòd socer censetur donare genero fructus pignoris, donec dos exsoluta fuerit. Quæ ratio Medinæ est, teste Navarro, quam & ipse refellit, eo quòd *d. c. Salubriter* nullo donationis titulo innitatur. Sunt tertii, inter quos nominatim recensetur Fortunius Garfias *de ultimo sine jurâ, illat 6*, quòd, cum pater teneatur ad alendam filiam suam, videatur ipse fructus pignoris permittere genero loco alimentorum. Sed & hanc improbat idem Navarrus, quòd nimium restringat decisionem *d. cap. Salubriter*, ut scilicet tantummodo ipsi locus sit in genero recipiente pignus à socero suo; cum eadem & ad quemlibet extraneum meritò transferri debeat.

Nec tamen ipse Navar. *ibid. num. 66*, meliorem aliam rationem adfert: nam putat eum, qui dotem promisit, tacitè convenisse de tanto emolumento capiendò, quantum prudens & diligens maritus collegisset ex dote, si soluta fuisset; ac proinde fructus pignoris succedere in vicem huius emolumenti tacitè promissi. Verum hæc ratio, si benè inspicatur, incidit ex parte cum prima ratione, quam antè attulimus; aut certè Navar. obsecuritate suam involuit, ut facile intelligi non possit.

Mihi semper tutius visum est, ut à ratione textus minimè discedatur; quæ hæc est, quòd ideo gener lucretur fructus pignoris, quòd frequenter dote fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda. Hanc enim rationem discipulis verbis reddidit textus in *d. c. Salubriter*. In his verò consistunt onera matrimonii, ut maritus uxorem alat & curat cum ancillis sive famulis, si quos habet, *l. Si cum dotem 23, §. si autem D. Solutio matrim. c. l. Si quis pro uxore 22, in princ. c. 1, l. De donat. inter virum & uxorem*. Et quia hæc onera varie incidere solent, vel propter morbum, partum, vel profectioem uxoris cum marito, vel timorè, ideo fit, quòd propter dubium horum eventuum permittat summus Pont. in *d. c. Salubriter*, ut fructus pignoris pro dote constituta licitè percipiat & retineat

neat maritus, non imputando eos in extenuationem dotis promissa & non soluta. Accedat & incertus fructuum eventus, qui & in hac re attendi debet, *l. si ea lege 17, C. De usur ut & rectè considerat summus Pont.* in specie *c. fin. h. t.* dum excusat eum ab usura, qui merces plaris vendit, vel minoris emit ob solutionem dilatam in id tempus, quo incertum est, an plaris vel minoris merces sint valiturae. Curigitur non similiter eadem ratione excusabitur gener, propter onera matrimonii incerta, & dubium fructuum sive emolumentum eventum? Quod sit, ut decisio *d. cap. Salubriter* non tantum locum habeat in socio &

genero, verum etiam in ceteris dorem promittentibus, ob eandem æquitatem. Quam & probat Dominicus Soto *de Inst. & jure lib. 6, quæst. 1, art. 2, serò circa finem.* Quamvis & secunda ratio supra allata non videatur planè improbanda in promissore dotis, qui scit fructus pignoris excessuros utilitatem dotis, vel si pensionem majorem annuatim constituit pro dote, quam fert mos patris, idque sciens prudensque, non coactus fecerit, propter juris regulam: Cuius per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est, *l. Cuius per errorem 53, D. De R. I.*

## CAPUT VII.

## De restitutione usurarum.

## In Cap. Cum tu manifestos §.

## SUMMARI A.

1. Manifestus usurarius quis.
2. Pœna in usurarios varia.
3. Ad restitutionem usurarum quitentantur.
4. Quid si usurarii vel heredes non sint solvendi?
5. Item quibus si à debitore remissa sint usura non soluta.
6. Item si juramentum de solvendis usuris, vel non repetendis accesserit.
7. & 9. Conciliatio c. Consultu h. t. cum c. fin. inf. De Simonia.
8. Conciliatio Feliciani de Solis 10. Soti.
11. Navarri conciliatio probatur.
12. Usurarium rectè excipere contra actorem etiam usurarium.
13. Rem ex usuris comparatam non esse ejus, à quo usura extorta sunt.
34. Sed an hypotheca jura ipsi obligata?

**M**anifestus usurarius is dicitur, qui palam scœnus exercet, ita quòd nullam hujus rei excusationem possit obrendere; aut qui hoc crimen confessus est in jure, id est, in judicio; aut de eo est condemnatus, *cap. fin. sup. De cohabit. Clericor. cap. Cum olim 24, & cap. Super 26, inf. De verb. significat.* Et quamvis de manifestis loquatur tantum hæc Decretalis, idem tamen obtinet & in occultis usurariis, quod ad restitutionem usurarum attinet in conscientia foro. Nam contra eos alia pœnae fori exterioris cessant; cum la-

tentia delicta publicè non vindicentur, *cap. fin. xxxii. q. 5.*

Itaque cum & alia pœnae in usurarios statuta sint à sacris Canonibus, libet hic & cap. sequenti omnes recensere & breviter perstringere. Quare prima est, restitutio usurarum, quæ licet vera pœna non sit, sed potius restitutio ejus quod justè alteri debetur; nihilominus eam inter pœnas placet hic annumerare. Altera est, excommunicatio. Tertia, privatio communionis oblationis altaris & sepulturæ Ecclesiasticæ. Quarta, testamenti interdictio. Quinta, infamia ex multorum sententia.

Igitur quod ad restitutionem attinet, ea planè necessaria est. Cum enim usura rapinæ instar sit, *can. Si quis usurarium xiv. quæst. 4,* utique restitutioni subjacet, & subsequenter non aboletur hoc crimen solâ pœnitentiâ, sed & restitutione opus est, juxta D. Augustini sententiam hoc textu relata, *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quæ postea à Bonifacio VIII. relata est inter juris regulas, *lib. 6, Decretal.*

Ut hinc etiam Judæi rectè cogantur ad restitutionem usurarum, tamquam alienæ rei iniuri possessores; quos nec convenit melioris esse conditionis quàm Christianos, *cap. Post miserabilem 12, & cap. penult. h. t.* Sicut neque stultos quàm prudentiores, *l. Servus 4, D. Quod vi aut clam.* Unde quoque consequens est, ut & ad heredes usurariorum hæc restitutio pertineat, quatenus scilicet

usura-

usurarium lucrum ad eos pervenit, text. hic & in cap. Tu nos 9, eod. tit. ne alieno scelere difceant heredes, ut & jure civili eorum est in ceteris heredibus delinquentium, l. unica Cod. Ex delicto defuncti in quantum heredes. Quamvis, etiam si ad heredes nihil ex usuris defuncti pervenerit, adhuc tamen hoc jure nostro receptum est, ut juxta facultates defuncti compelli possint heredes ad restitutionem usurarum; ut saltem hoc modo expietur peccatum defuncti, per text. in cap. fin. sup. De sepult. & in cap. In luteris 5, inf. De rapto. Nec enim peccatum defuncti dimittitur, nisi restituatur ablatum, ut ante dictum est. Dixi, hoc jure nostro; nam jure civili heredes ex delicto defuncti non conveniuntur, §. non autem, Inst. De perpet. & tempor. actionib. cum personam delinquentis poena non egrediatur, l. Sancimus 22, D. De poenis; nisi, ut diximus, ex delicto defuncti aliquid ad heredes pervenerit, aut his ante fuerit contestata cum defuncto, d. l. unica & d. §. non autem vers. poenalis; eo quod in judicio per litis contestationem quasi contrahatur, l. 3, §. idem scribit D. De peculio. At vero actiones ex contractu descendentes ad heredes transeunt, l. Ex deposito 11, & l. Ex contractibus 4 §. D. De actionib. & obligat. Et cum hæc res de usuris restituendis per heredes, etiam si nihil commodi ex usuris ad eos pervenerit, salutem animæ concernat, non minus observanda, & retinenda erit in foro Civili quàm Ecclesiastico, ex ratione cap. fin. sup. De prescrip.

Quare & ex his consequens erit, usurarium non excusari, etiam si id, quod ex usuris percepit, in Ecclesiam, vel in pauperes contulerit, sive id fiat titulo donationis sive ultimæ voluntatis, ex i. qua supra cap. 4, à me explicata sunt. Sed tum demum ad pauperes, vel etiam ad Ecclesiam devenitur, ubi debitores, à quibus usuræ exactæ sunt, vel eorum heredes non supersunt, vel inveniri non possunt, juxta decisionem textus nostri, in cap. Cum tu manifestos, & in can. Nemo xiv. q. 5.

4 Ceterum quid juris, si usurarius aut ejus heredes solvendo non sint? Et certum est, interim eos liberari donec ad pinguiorem fortunam pervenerint, d. cap. Cum tu manifestos, junct. loc. Odonardus sup. De solutionib. Siquidem inanis est illa actio, quam debitoris inopia excludit, l. Nam nullam 6, D. De dolo.

5 Quid si remissæ sint usuræ à debitoribus? Et valere hanc remissionem certius est; ut & in aliis delictis civilibus, sive etiam criminalibus, quatenus in his privatim interest alterius, l. Furti 6,

§. pactum D. De his qui not. infamia, junct. l. unica Cod. Quando civilis actio criminali præjud. Nec obstat Divi Augustini sententia supra recitata, Non dimittitur peccatum, & c. quia exaudienda est, nisi debitor, cujus hæc in re solius præjudicium vertitur, usuras remiserit. Cum nihil inter se solvatur id, quod in obligatione est, analiter volenti creditori satisfiat, l. Si rem 9, §. omnis vers. satisfiatum D. De pignorat. act. junct. l. Solutionis 177, D. De verb. significat. & l. Solvitur, cum l. seq. D. Quib. modis pignus vel hypoth. sol. Nisi quibus casibus jus restitit remissioni, ut in cap. Statutum 11, §. insuper, junct. §. penult. De rescriptis lib. 6, & in cap. 2, in fine Decensib. eod. lib. 6, Neque necesse est in hac remissione, usuræ solutioni paratæ sint, vel prius offerantur debitori (ut quidam perperam existimant) sed satis est, hanc remissionem sponte & sine fraude fieri ab eo, qui rerum suarum liberam administrationem habet, l. In re mandata 12, C. Mandati.

Atque hæc quæ de restitutione usurarum diximus, ad eod. obtinent, etiam si juraverit debitor se solviturum usuras, aut solutas non repetiturum; nihilo enim minus potest cogere creditorem, ut vel remittat juramentum, si nondum solutæ sint usuræ, cap. 1. sup. De jurejur. & cap. Tuas 13, h. tit. l. e usuris, & ibid. Panormit. vel si solutæ sint, ut eas restituat, implorata tamen prius absolutione à juramento, sive remissione juramenti ab ipso creditore, officio judicis per censuram Ecclesiasticam, dictis jurib. usque ad eod., licet usuræ solo animo nulla pactione intercedente conceptæ sint à creditore, nam & hæc usuræ eadem Christi sententia continentur, Date mutuum, nihil inde sperantes, Luca 6, & probat textus in cap. Consuluit 10, hoc tit. De quo latius Cov. in cap. Quamvis in 2, p. relict. §. 3, num. 2, & 3, De pactu in 6.

Cui tamen refragari videtur cap. fin. §. 1, inf. De 7 Simonia, ubi is, qui nullo pacto, sed solo affectu animi Simoniam admisit, non obligatur ad ejus quod recepit restitutionem, sed sola poenitentia abolet delictum suum. In quo nodo dissolvendo vehementer laborant Dd.

Et quidem video Felicianum de Solis, Hispanum diligentissimum, in comment. de Censib. lib. 1, c. 5, num. 13, nullum constituere discrimen inter usuram mentalem & simoniam mentalem, ita quod neutra restitutioni obnoxia sit. In usura mentali duplicem rationem reddit; quarum prior hæc est, quod scilicet on. pris restituendi obligatio dimanet ex injuria, læsione, & damno proximo illato. Sed quando mutuatarius ex mera benevo-

benevolentia, gratis, placidè & sponte quippiam offert mutus nisi ultra sortem, nullam læsionem, nullumque damnum sentire, cum ipse liberè donec; ergò mutuans jure divino & naturali sit dominus ejus quod accepit, neque ad restitutionem tenetur. Altera ratio est, quòd ubi debitor remisit usuras iniquè extortas habenti animum non restituendi, sed retinendi illas, creditor ad restituendum non ampliùs obligetur. Probat per ea, quæ tradunt Cov. in reg. Peccatum in princ. 2, partis. Navar. c. 17, num. 75. Alexand. conf. 91, vol. 1. Similiter ergò non tenetur, ubi libera & gratis donatio est facta, cum remissio vim habeat donationis, l. Contra & si filius D. De pact. l. 1, D. De transact. & similib. Atque in hanc sententiam idem Felicianus advocat D. Thom. in 2, 2, q. 78, art. 2, Richard. & Scot. in 4, dist. 15, q. 5, art. 5, & plures alios, quos hic non libet referre. At aliter ubi utriusque tam debitoris quàm creditoris mens mala est, ita quòd mutuans intendat & speret occasione mutui lucrum, aliàs non mutuaturus, & mutuarius det ultra sortem propter mutuum non liberè sed coactus. Nam tunc usuram committi verè & propriè existimat, adeoque acceptum subjacere restitutioni; & hoc casu loquitur d. c. Consuluit. h. 1. Et licet lex divina (subiicit) veret lucrum sperare ex mutuo, non tamen ex eo solo, quòd quis sperat & lex prohibet, tenetur restituere. Quæ admodum enim animum voluntatemque furandi cohibet & improbat lex divina & naturalis; & tamen si furerur quis rem alienam non invito domino sed volenti, non tenetur restituere, ut probat tex. in l. Inter omnes 47, §. rectè D. De furtis: ita quidem putat esse in proposito. Nam etsi lucrum sperans ex mutuo peccet adversus legem divinam, quæ præcipit, ut mutuum dantes nihil inde sperent; tamen si à debitore volente aliquid accepit, restituere non tenetur, quia ex domini voluntate libera, & absoluta capit. Ita Felicianus de Solis, quem hic refero longius, quàm fortasse par aliis videbitur; ejusque sententiam & ego veram esse existimo etiam in ea specie, quâ utriusque mens creditoris & debitoris prava tempore mutui concurreret, dummodò postea solutionis tempore liquidò constiterit, ex mera donatione debitoris lucrum subsecutum fuisse, arg. l. 2, C. De his qua vi metusve causa, c. Ad id 2, §. sup. De sponsalib. c. 2, §. sup. De eo qui duxit in uxorem &c. In dubio enim donatio non præsumitur, l. Cum de indebito 25, D. De probationib. Ac proinde creditor, si certò non

scit lucrum ex mera liberalitate profectum esse, reus manet usurarum restituendarum.

Illud verò falsò adstruitur à Feliciano, quòd d. cap. Consuluit tunc demùm obtineat, ubi & mens debitoris & creditoris simul in eadem fraudem convenerit. Nam præterquam quòd ex parte debitoris mens prava considerari non possit, cum is coactus vi præcedentis obligationis censeatur solvere absque peccato, sicut supra cap. 2, à me deductum est: textus in d. cap. Consuluit non tenetur usurarum crimen ex persona debitoris; nam his verbis utitur: Consuluit nos ita de vobis, an ille in iudicio animarum quasi usurarius debeat iudicari, qui non aliàs mutuo traditurus, eo proposito mutuum pecuniam credit, ut, licet omni conventionione cessante, plus tamen sorte recipiat. Et paucis interjectis subiungit illam Christi sententiam, Date mutuum, nihil inde sperantes. Ex qua consequenter idem textus elicit, creditores malè agere, & ad ea, quæ aliter sunt accepta, restituenda in animarum iudicio tenent. Igitur ex sua persona creditores propter spem lucri peccant, & ad restituendas usuras obligantur. Atque etiam hujus sententiæ multos citat auctores idem Felicianus d. num. 13, in fine nisi (ut jam antè dictum est) cum solutio subsequens usurarum à debitore spontè & liberè nulloque prospectu obligationis præcedentis facta est. Idem probat & Did. Covar. in cap. Peccatum in pr. n. 4, sub fin. & num. 8, De reg. jur. in 6.

Sed rejicies, quæ igitur differentiæ ratio constituitur inter d. cap. Conquestus & cap. fin. De simonia? Res difficulter componi potest, cum hi textus ratione sui inter se quasi ex diametro pugnent. Sed verba ejusdem cap. fin. prius videamus, ut eo res plenius intelligatur: Mandato nostro recepto, ut cum Monachis, qui per simoniam dato aliquo loco in monasteriis sunt adepti, secundum constitutionem generalis Concilii (extat in cap. Quoniam 40. hoc eod. tit. De simonia) dispensares, & infra Consultatione tua breviter respondentes, dicimus, Mandatum Apostolicum etiam ad Abbates extendi. Et ad resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere creatori) eos pro simonia hujusmodi non teneri. Videt igitur ex hoc textu aperte colligi, simoniam mentalem, hoc est, quæ solo animo constat, non obligare ad restitutionem. Quod & affirmat D. Thom. in 2, 2, quæst. 100, art. 6, ad 6, ubi ita inquit: Dicendum, quòd quoad Deum sola voluntas facit simoniam.

niacum, sed quoad poenam Ecclesiasticam exteriori non puniuntur ut simoniacus, ut adrenuntiaro teneatur, sed debet de mala intentione poenitere. Et certè ratio hæc esse videtur, quòd cogitationis poenam nemo patiatur in foro exteriori, *c. Cogitationis de poenit. dist. 1. c. l. Cogitationis 18, D. de poenis.* Sed cur secus statutum est in usura mentali, *in d. cap. Consultus?* Hic igitur maximè contentione laboratur à Dd. sicut latè videre est apud Panormit. *in d. c. fin. num. 6, cum seq. & apud Dominic. Sotum de Inst. & jure lib. 9, quasi 8, artic. 1, §. sextum denique argumentum*, quo loco varias Doctorum conciliationes congerit, easque refellit, quas ideo hic repetere, non est necesse.

<sup>10</sup> Ipse verò Sotus rem ita explicat, quòd *in d. cap. fin.* quæsitum fuerit, an mandato summi Pontificis cum Monachis simoniacè in monasterium receptis contineantur etiam Abbates; scilicet, ut & cum iis dispensari debeat, non ut ipsi dispensent, sicut perperam intelligit Sotus. Item, an eodem mandato comprehendatur dispensatio super resignatione spiritualium & temporalium, quæ monasterium ratione ingressus à Monachis recepit; Et Respondet S. Pont. utrumque contineri, juxta tamen constitutionem generalis Concilii Lateranensis sub Innocentio III. (non Constantiensis, ut rursus malè exiimat Sotus, utpote quod Constantiense Concilium non sub Innocentio III. sed longè post sub Martino V. celebratum fuerit.) Itaque ex sententia Soti mandatum hoc de dispensando non solum extenditur ad Abbates, sed & ad resignationes tam temporalium quàm spiritualium; dummodò nullum pactum sed tantummodò affectus animi intervenerit. Verbum ergò, *solum in d. cap. fin.* inquit Sotus, non excludit, quin ex natura simonia faciendæ esset tam resignatio spiritualium quàm restitutio temporalium. Imò cum dicit, mandatum dispensandi ad id extendi, palam docet super his dispensationem fuisse necessariam; sed excludit illa, quæ in d. Concilio jubentur, scilicet, ne exeant Monachi à monasterio, sed manserint in suo loco cum sola poenitentia.

Atque sua hac responsione putat Sotus rem se acu regisse. Ex qua sequitur, nullam esse constitvendam differentiam inter usuram mentalem & simoniam mentalem quoad restitutionem, de qua hic controvertitur. Ad D. Thomam quod attinet, ait eum exaudiendum esse de simonia merè mentali, in qua nihil re ipsa adhuc intervenit, ac proinde nullam restitutionem necessariam esse.

Ceterum nobis videt Sotus *in d. cap. fin.* tantummodò quæsitum fuisse, an cum Monachis dispensari possit, juxta Concilii Lateranensis constitutionem, quæ jubebatur Moniales & Monachi removeri ex monasteriis, quæ vitiosè ingressi erant, & in aliis locis ejusdem Ordinis collocari; nisi propter nimiam multitudinem commodè alibi admitti non possent, quod tunc dispensativè de novo in eisdem monasteriis recipi debeant, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignariis. Et quidem loquitur aperte d. Concilium de iis, qui pretio dato locum sibi in monasterio compararunt, non verò, qui pravo tantummodò affectu monasterium ingressi fuerant, in quibus nulla dispensatione opus esse disertè declarat textus *in d. cap. fin.* quam tamen malè requirit Sotus ex natura simoniæ, sed prædicto mandato tolli. D. verò Thomam loqui, non de merè mentali simonia, convincunt verba ejus supra recitata, juncta ibidem oppositione argumenti.

<sup>11</sup> Quare malum hac in re sequi sententiam Mart. Navarr. quam & ipse communem esse asserit *in d. cap. fin. De simonia num. 12.* Ita ut aliud sit in usura, aliud in simonia, utraque mentali. In illa quippe, quod pro usura solvitur, coactè datur, in simonia verò ultra præstatur; sicut fit & in emptione & venditione. Et hæc differentie rationem, quam ex Cajetano desumpsit, pluribus comprobatur ibidem Navarr. adversus Sotum. Ad dicit verò ipse aliam *d. locum 23, cum seq.* quæ magis placet, quòd scilicet nemo teneatur restituere, quod utrimque malè datum & acceptum est, ita quòd ex utraque parte turpitudine versetur: nisi quando lex illud specialiter mandat restituere; sed, si alterius tantum turpitudine vertatur, ut passim probat *tit. D. & Cod. de condic. ob turpem caus.* At verò in usuris turpitudine solius creditoris est, non debitoris. Igitur in usuris res data conditione ob turpem causam rectè repetitur.

Nec movet, quòd post obligationem utrarum, quæ turpis in se est, solutio subsequens videatur abolere & purgare præcedentem turpitudinem, *l. penult. D. jam d. tit.* quia id verum est, ubi sponte solutio subsecuta est, *l. 2, C. de his qua vi metusve causa.* Debitor verò usuras non sponte sed coactus solvere creditur, vel ut saltem parcat pudori suo, quòd antè usuras promiserit; quæ species quædam coactionis est, *l. penult. vers. & hoc modo c. l. Quintus Mutius 48, circa princ. D. Mandati* vel nisi eas solvat, timeat, ne fors ab eo avocetur. Quare & hic cessat illa juris regula:

Nan

Cujus

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est, l. Cujus per errorem D. de R.I. Tamen si enim debitor indebitas usuras consultò solvat, non tamen donare eas præsumitur in dubio, quia, ut dixi, coactus solvit. Unde neque si sciens sibi competere repetitionem usurarum, repetitio cessat, non obstante l. Quod quis 50, D. De condict. indebiti.

In simonia verò utriusque turpitudine est ramdantis quam accipientis, ac proinde melior est conditio possidentis, juxta aliam juris regulam: In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis, cap. In pari De R. l. in 6, Sed rectè addit Navarrus, nisi quando lex specialiter mandat. Nam tamen si de acceptis per simoniam realem, hoc est, ubi ex pacto expresso vel tacito intervenit res, lex sit specialis in cap. De hoc d. tit. De simonia: nulla tamen est de rebus per simoniam mentalem: atque idcirco ad mentalem eadem poena produci non debet, c. Odis De R.I. lib. 6, imò potius expresso jure contrarium cavetur, in d. c. fia. Igitur conquiescamus in his duabus rationibus à Nava ro allatis, etiam si plerisque obniam earum subtilitatem forte minus satisfactum videri possit. Sed tunc in eos retorquenda est Juliani l. C. sententia: Non omnium, inquit, quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest, l. Non omnium 20, D. De legib. Et ideo, addit ibidem Neratius in l. seq. rationes eorum, quæ constituantur, inquiri non oportet, alioquin multa ex iis, quæ certa sunt, subvertuntur. Vide si placet fufius Navar. in d. c. fia. de Simonia.

12 Ubi tamen meminisse oportet, debitorem, qui usuras solvit, vel ejus heredem non admitti ad repetitionem usurarum, si & ipse usuras exercuerit: unde oppositâ hac exceptione in judicio justè repellitur à judice, donec ipse ante usuras restituerit, cap. Quia frustra 14, h. t. ubi hæc ratio redditur, quod is frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem. Eadem utitur Triphonius l. C. in simili specie, in l. Auxilium 38, in fia. D. De minoribus.

Subjicienda est hic altera quæstio, An res ex usuris comparatæ, sint debitorum, à quibus usuræ extortæ sunt, an verò jure hypothecæ illis obligatæ? Quod autem non sint debitorum, aut eorum heredum, sed ipsius emptoris, probat passim tit. C. Si quis alteri vel alterius nomine & text. in l. Si ex ea 6, De rei vindicat. ubi his verbis Gordianus Imp. Si ex ea pecunia, quam deposueras, is,

apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique tradita sunt, tibi vel omnes er. di, vel quajam ex his compensationis causa, ac invito coin te transferri injuriosum est. Quod si id in depositario alioque mala fidei possessore receptum est, ut is ex pecunia aliena dominium rei emptæ sibi acquirat, cur non similiter & in creditore usurario? Ubi hinc D. Th. in 2, q. 78, art. 3, ad 2, rectè asserat, possessiones ex usuris comparatas non esse eorum, quorum usuræ sunt, sed illorum, qui eas emerrunt. Sed (quod adjicit) illis obligatas esse, à quibus usuræ sunt acceptæ, jam excutietur.

Igitur hic quæritur, An saltim res ex usuris comparatæ sint debitoribus hypothecæ jure obligatæ? Quod videtur ex jam dicta sententia D. Thomæ. Idem asserit Glossa in cap. Tua nos h. tit. ubi hoc amplius contendit, quod omnia bona usurariorum sint tacite obligata. Quæ & communis fuit antiquorum opinio, licet posteriores ab ea communiter dissenserint, teste Panormit. in d. cap. Tua nos, n. 7, cum seq. Nec enim jure probatur hæc hypotheca, ut tradunt Joan. Andr. in cap. Quamquam hoc tit. & Did. Covarr. Variar. resolut. lib. 3, cap. 1, n. circa finem.

Unde Hostiensis in d. cap. Tua nos circa fin. rectè inquit, successorem singularem, ad quem defuncti res etiam ex lucrativa causa pervenerunt, conveniri non posse pro restitutione usurarum. Et quamvis Hostiensis non simpliciter hoc asserat, cum utatur his verbis, non videtur teneri, tamen ita interpretatur sententiam ejus Panormit. ibid. Hoc præterea adjiciens, quod quoad rem ex usuris comparatam & alteri quæsitam lucrativo titulo, puta donationis, possit hic possessor pro usuris conveniri. Quod ex æquitate intelligendum est, non vi obligationis, l. Si me & Titium 32, D. Si certum pat. dummodo solvendo non sit usurarius, aut hæres ipsius, qui in primis tenentur, d. cap. Tua nos, & supra hoc eod. cap. meminimus. Non obstat d. sententia D. Thomæ & Glossæ, quia utraque nititur textu in cap. Cum tu 5, in fia. tit. in quo nulla mentio hypothecæ, sed tantummodo statuitur, ut possessiones, quæ ex usuris comparatæ sunt, vendantur, eo casu scilicet, quo alias solvendo non sunt usurarii, ut fit & in aliarum rerum executione, l. A divo Pio 5,

9. in venditione D. De re judicata.

CAPUT

## CAPVT VIII.

## De Pœnis Usurariorum.

## SUMMARI A.

1. Pœna in usurarium laicum est excommunicatio; & quæ in Clericum.
2. Item privatio communionis & Ecclesiastica sepultura.
3. Usurarii manifesti quatenus sint inestabiles. Cap. 2, h. c. in 6, explicatur.
4. Quatenus ad sepulturam Ecclesiasticam admittendi.
5. Usurarii manifesti qui, & quid manifestum usurarium faciat.
6. An & confessio in iudicio vel extra iudicium facta?
7. Usurarii qui d. cap. 2, continentur.
8. Cautio idonea quoad restituendas usuras quæ intelligatur in d. c. 2.
9. An d. cap. 2, etiam ad codicillos porrigatur.
10. Quid si quis cum testamenti tempore usurarius manifestus non esset, post factus sit?
11. Quid si post testamentum factum idoneam cautionem praestet?
12. Usurarii an & quatenus sint infames.
13. Pœna juris Crvillis adversus incestuosos an transferri possint ad casus solo iure Canonico prohibitos?
14. Usurarii & extra ordinem puniri possunt.
15. Usurarius contractus an in totum vitietur,

**S**uperiori cap de restituendis usuris egimus; Jam ad alias pœnas usurariorum digrediamur. Inter quas prima occurrit excommunicatio in laicos, in Clericos suspensio ab officio & beneficio Ecclesiastico, cap. Præterea 7, hoc tit. non quidem ipso iure, sed per sententiam iudicis Ecclesiastici: siquidem textus in d. cap. Præterea utitur his verbis, suspendas, adstringas, quæ factum iudicis requirunt, & quidem tale, ut antequam ad excommunicationem deveniatur, tria monitio præmitti debeat, juxta cap. Sacro 48, inf. De sent. excommunicat. juncto cap. Constitutionem 10, eod. tit. in 6, Suspensionem vero statim iudex potest infligere, cum ex decreto Concilii Nicœni iudex possit usurarium Clericum etiam privare gradu Ecclesiastico, & à clero dejicere, juxta text. in can. Quo-

niam multi xiv. q. 4. juncto c. Cum non ab homine 10, sup. de iudiciis. Quæ pœna postea ab Alexandro III. in Concil. Turonensi repetita videtur in cap. 1, h. c. Iudicis igitur arbitrium in hac re versabitur, utrum pœnam depositionis vel suspensionis Clerico usurario infligere debeat, quod æstimabit ex qualitate personæ & delicti, servatâ tamen formâ circa excommunicationem & suspensionem ab Innocentio IV. præscriptâ in Concilio Lugdunensi, ut scilicet utraque in scriptis fiat, & expressâ causâ; sicut latius videre est in cap. 1, De sent. excomm. lib. 6.

Item usurarii si manifesti sint, ad communionem altaris & sepulturam Ecclesiasticam non admittuntur, nec eorum oblationes recipiuntur, statutâ suspensionis pœnâ in Clericos, si contra fecerint, cap. Quia in omnibus 3, h. c.

Sed neque ad testamenti factionem usurarii manifesti admittuntur, nisi usuras prius restituerint aut de iis restituendis idoneè caverint, juxta formam c. 2, De usur. l. 6, Cujus celeberrimi capituli verba hic adscribâ: Quamquam usurarii manifesti de usuris, quas receperat, satisfieri expressâ quâritate vel indistinctè in ultima voluntate mandaverint; nihilominus tamen eis Ecclesiastica sepultura denegetur, donec de usuris ipse fuerit (prout patiuntur facultates eorum) plenariè satisfactum; vel illis, quibus faciendâ est restitutio si præsto sint ipsi, aut aliis, qui eis possunt acquirere, vel eis absentibus, loci Ordinario aut ejus vices gerenti, sive Rectori parochia, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia (quibus quidam Ordinario, Vicario & Rectori prædicto modo cautionem hujusmodi, eorum nomine, liceat præsentis constitutionis auctoritate recipere, ita quod illi perinde actio acquiratur) aut seruo publico de ipsius Ordinarii mandato idoneè de restitutione faciendâ sit cautum. Ceterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædictâ exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem hujusmodi arbitrio moderandam; ipse tamen scienter non minorem quàm verisimiliter creditur, moderetur; & si seclus fuerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem Religiosos & alios, qui manifestos usurarios contra præsentis sanctionis formam ad Ecclesiasticam ausu fuerint admittere sepulturam, pœna Lateranensis



nonis Concilii contra usurarios promulgata statui-  
mus subiicere. Nullus manifestorum usurariorum testamen-  
tus intorsit, aut eos ad confessionem admittat, siue ipsos  
absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo  
pro suarum viribus facultatum præstent (ut præmitti-  
tur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestor-  
um usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irri-  
ta ipso jure. Huc usque text. in cap. 2, De usuris lib. 6.

Hujus igitur cap. 2, sententia hæc est quod  
usurarii manifesti ad Ecclesiasticam sepulturam  
non admittantur, antequam usuras (quoad fa-  
cultates eorum patiantur) refundant iis, qui-  
bus extorserunt, vel hæredibus eorum, vel in  
subsidiu pauperibus, cap. Cum tu 5, h. e. (ita enim  
hic textus d. cap. 2, supplendus est) vel saltem cau-  
tionem de restituendo præstiterint, præsentibus  
iis, quibus usura debentur, aut illis, qui in eorum  
potestate sunt, ut sunt servi & filii familias, (nam  
per hos dominis & parentibus acquiritur, ut Inst.  
Per quas pers. cuique acquir. Et l. Acquiritur 10, D. De  
acquir. rer. dom.) aut his absentibus, loci Ordina-  
rio, siue ejus Vicario, vel proprio Parocho, cor-  
am personis fide dignis, aut debique Notario ex  
mandato Ordinarii, de restituendo idoneè cave-  
rint. intelligendo tamen, nisi mortis articulus  
imminet: hoc enim casu, cum permillum sit om-  
nibus Sacerdotibus quoslibet pœnitentes à qui-  
busvis peccatis & censuris absolvere, ex declara-  
tione Concilii Tridentini Sess. 14, cap. 7, in doctri-  
na de sanctiss. pœnitent. possunt etiam hi promiscuè  
eamdem cautionem recipere & permillum morien-  
tis eam referre Episcopo. Sylvest. in V. Restitutio 6,  
qu. 1. Addit Navarrus in Manuali cap. 17, num. 2,  
28, & cuilibet alteri Sacerdoti, legitimam pote-  
statem audiendi confessionem habenti, eamdem  
cautionem fieri posse, arg. Clem. Dudum De sepult.

His ergo concessum est, absentibus debito-  
ribus, & iis, qui in eorum potestate sunt, cautio-  
nem hæc de restituendis usuris recipere. Et hæc  
forma non servatà, usurarii manifesti nec admit-  
tantur ad Ecclesiasticam sepulturam, nec eor-  
um testamenta vim ullam habent, sed prorsus  
irrita sunt ipso jure. Præterea Religiosi & alii,  
qui eisdem ad Ecclesiasticam sepulturam ad-  
mittunt, cœcentur pœnâ Concilii Lateranen-  
sis, quæ est suspensio ab executione officii, & re-  
stitutio eorum, quæ acceperunt. cap. Quia in om-  
nib. 3, h. 1. sed & posteriore jure ipso facto sunt ex-  
communicati, cap. 1, De sepultur. in Clement.

Porro hic non attinet disquirere, qui dicantur  
usurarii manifesti. Hos supra c. proximo de-

scripsimus ex cap. ult. sup. De cohabit. Cleric. qui vel  
scœnus palam exerceat, vel id in judicio confessi  
sunt, vel de eo condemnati sunt sententiâ judi-  
cis. Et quidem quoad primum de palam exer-  
centibus usuras, omnes in eo conveniunt, ut hi  
prædicto c. 2, contineantur. Ita enim attestatur  
Did. Corat. Variar. Resolut. lib. 3, cap. 3, num. 4,  
Quocirca satis non est, probare aliquem esse  
usurarium, nisi simul probe & hæc qualiterem,  
quod manifestus sit. ex l. 1, Et l. 2, D. de probat. Me-  
noch de arbitrar. jud. quæst. casu 235, in prin. Ubi &  
manifestum usurarium interpretatur, non solum  
cum, qui publicè omnibus spectantibus usuras  
exerceat, sed & qui domi omnibus scœneratur.  
Quod tamen de omnibus, scilicet petentibus, non  
requiritur necessariò Navar. d. cap. 17, num. 280,  
cum sufficiat manifestam esse hujusmodi muta-  
tionem, ita quod nullâ tergiversatione celari  
possit, d. cap. ult. sup. De cohabit. Imò etsi vera &  
propria mutatio non fit, sed interpretativa, ut  
loquimur, qualis est, ubi res carius vel vilibus ju-  
sto pretio emitur aut venditur, prout supra cap.  
3, explicatum est: nihilominus eodem modo  
emptor vel venditor manifestus usurarius dicitur,  
dummodò rei evidentiâ id publicè teste-  
tur. Ut hinc piè & verè exclamet Petr. Binsfeldius  
in c. Cum in diocesi 5, h. e. g. 1. in 2, conel. Quam  
multi, inquiens, sunt, usurarii manifesti, tempo-  
re annoz carioris: quando, verbi causâ, mo-  
dium frumenti, qui præsentem pecuniâ vendere-  
tur sex florenis, sed propter solutionem dilatam  
omnibus adventantibus septem venditur, accep-  
tis fidejussoribus, siue pignoribus capitis: &  
nihilominus eorum misericordia prædicatur. Sed  
vix, addit, tali misericordia, si pœnitentiam non agant  
in hoc mundo, & pauperibus tam injustum lucrum non  
restituunt. Verè horrendum est, quod tam multi in Repu-  
blica ex infimis, modis, & supremis sint, qui tam præva-  
negotiationi inhiunt, & non cogitent de pœnitentia &  
restitutione, & nullum scrupulum ob hoc exercitium sui  
faciunt. Utinam saperent & intelligerent, quomodo Do-  
minus mortis & vitæ, quando minime cogitabant, in  
noctæ venisset, & repetet animas eorum, & dicit: Stulti  
cujus erunt, quæ congregastis, supprimendo paupe-  
res, quos potius misericordia opere erigere, quàm usura-  
rio negotio subruere debueratis. Hæc, inquam, non  
minus verè quàm piè Binsfeldius; non tamen  
ideo excusat eos, qui clam id genus usurarium  
exerceant; cum non minus & hi restitutioni ob-  
noxii sint, & rationem sint Deo reddituri. Sed  
progreddiamur.

6 Is quoque qui confessus est hoc crimen in iudicio, se scilicet esse usurarium, non minus manifestus dicitur, ex d. cap. ult. sup. De cohabitatis. Cleric. Glossa in c. 1. v. manifestos b. t. in 6, Menoch. d. casu, 235, num. 20, Ubi & prudenter monet, quod hæc confessio non debet esse simplex, sed conjuncta, quod publicè vel domi sæpius vel frequenter sub usuris mutuaverit, ductus auctoritate Baldi & aliorum in cap. In præsentia num. 8, sup. De probat. qui tamen Baldus id plane non affirmat; sed nihilominus videtur vera hæc sententia, ex ratione, quam ibid. subjicit Menochius; quia illa confessio, inquit, simplex, se sub usuris mutuo dedisse, verificari potest in uno actu; qui tamen solus non efficit, ut quis usurarius dicatur, cum verbale nomen in uno actu solo non verificetur. Ita omnes, ait Menoch. in cap. 1. ibi Ripa num. 96, De iudiciis. Sicut contingit & in meretricis, mercatore, calumniatore, aliis que similibus, qui ex uno actu hæc nomina non sortiuntur, sed & ex pluribus. Cui tamen non assentitur; cum refertur text. apertus in can. 1, in fine xv. quæst. 3, fœneratorem eum nominans, qui vel semel fœnus exercuerit. Sic & calumniator dicitur, qui vel semel calumniatus est, l. 4, §. calumniator D. De his qui in infamia, l. Si per alium §. §. 1, D. De ventre in possess. mittendo. Cur non similiter igitur & is usurarius dicitur, qui vel semel sub usuris pecuniam credidit? Sed & malè locuti fuissent I. C. dum vocant usurarium debitum, l. Debitor 7, D. De usuris, & l. Si pupilli 6, D. De negotiis gestis. Quare propius puro, eum quoque usurarium rectè dici, qui vel semel fœnus exercuit, eundemque manifestum esse, si id in iudicio confessus fuerit; etiam non addito, quod manifestus sit, sicut ex sententia Dd. rectè tradit Covarr. Var. resol. lib. 3, cap. 3, num. 4, vers. 3, Idem est in eo, qui ob hoc crimen condemnatus est à iudice, c. ult. sup. De cohabitatis. Clericor. Glossa communiter probata in c. 1. h. t. in 6, teste eod. Covarr. d. num. 4, vers. quarto.

De confessione extrajudiciali quaesitum est, an ea usurarium manifestum efficiat? Scio usurarium ex eo legitime probari, quod scripto vel coram testibus professus est, se usuras recepisse; præsertim tamen parte, ex l. Publica 26, §. Lucius Titius D. Depositi, l. Certum 6, §. si quis absente D. De confessionibus, l. 1, in fine & l. ult. D. De interrogationibus. in iure facien. Quamvis sit, qui præsentiam partis hac specie non requirit; propter exonerationem conscientiarum, quos refert, Mascard. de probat. lib. 1,

conclus. 450, num. 25, cum seqq. Farinac. de criminibus lib. 1, quæst. 32, num. 15, Is tamen non antè dici poterit manifestus, quam si crimen suum in iudicio confessus, vel de eo condemnatus fuerit, sicut jam antè explicatum est.

Sed fingamus usurarium confessionem hanc extrajudicalem coram pluribus expressisse? Et hoc casu usurarium manifestum dici posse probat Antonius Gabriel lib. 7, concl. 20, num. 10, ex Glossa in cap. 1, h. t. lib. 6, quam testatur sequi ibidem Anchor Dominic. & Francum item Abb. Cardin. Ananiam & communi calculo receptam ex Socino conf. 127, col. 2, vol. 3, Verùm ex dicta Glossa minime elicitur hæc sententia, si ea rectè inspicatur. Interim Did. Covarr. Var. resol. lib. 3, c. 3, num. 4, vers. tertio, eam veram esse censet, dummodò facta fuerit coram testibus ita palam & publicè, quod in plurium aures, cognitionem & scientiam devenerit. Quæ certè sententia juvatur ex cap. Super quibusdam inf. De verb. signif. ubi consultus Innocentius III. qui dicendi sint hæretici manifesti, rescribit, illos intelligendos esse, qui contra fidem Catholicam publicè prædicant aut profitentur, seu defendunt eorum errorem; vel quicoram Prælati suis convicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententia literè condemnati super hæretica pravitate. Idem igitur sentiendum est de usurario, ut & is manifestus dicatur, si publicè usurarium se professus est.

Unde hinc alia exurgit quæstio, An hi omnes 7 d. c. Quamquam 2, h. tit. lib. 6, contineantur. Negat Covarr. d. c. 3, num. 5, vers. at si tractetur. Sed tantummodò eos contineri vult, quos palam ita arguit criminis evidentia, ut nulla tergiversatione celari possit: siquidem verisimile non est (inquit) Roman. Pontificem tam graves pœnas statuisse adversus eum, qui semel mutuum dedit sub usuris, licet id in iudicio confessus, vel de eo condemnatus sit. Nec item in eum, qui secretò usurarios contractus inierit, quamvis postea ejus criminis, vel propria confessione, vel probationibus aliis convictus, fuerit condemnatus. Nam in his casibus non posset justè iudex hunc pronuntiare manifestum usurarium, ad eum scilicet effectum, ut inerat pœnas d. cap. Quamquam. At verò si tractetur de pœnis Concilii Lateranensis, quæ extant in cap. Quia in omnibus 3, h. tit. putat is omnes cujusque generis usurarios manifestos comprehendi. Et hanc Covarr. sententiam videtur quoque comprobare Petrus Binsfeldius in

cap. Cum in Diocesi quasi 2, hoc tit. De usuris. Mihi verò minime probatur, eo quod Glossa d. cap. Quamquam de quovis manifesto usurario textum exaudiat. Idem Navarr. in Manuali cap. 17, num. 281. Idem sentire videtur Panormit. in d. cap. Quia in omnibus num. 11, Julius Clarus in §. Usurarium. 13, Nec video, cur non de omnibus exaudiri debeat, cum etiam in quovis crimine confessio in jure tanti valeat, ut ex ea quis justè condemnatur ad pœnam etiam gravissimam, l. Qui sententiam 16, D. De panis. Idem igitur juris censeo in eo, qui crimen suum in jure confessus est, vel eo nomine condemnatus, ac si ipsa palam usuras exercuisset, ad eum effectum, ut usuras restituat, vel de iis restituendis idoneè caveat, neque antè ad factiorem testamenti admittatur; præsertim cum hæc non in pœnam usurariorum statuta sint, quàm in medicinam sive remedium animarum suarum, ut eò magis adigantur usurarii ad restitutionem usurarum.

Unde sunt, qui constitutionem d. cap. Quamquam, tamquam thesaurum observari velint, quòd scilicet per eam usurarii indirectè cogantur ad restitutionem usurarum, Joan. Andr. in d. cap. Quamquam Ubi tamen rectè monet, eidem constitutioni non esse locum, nisi in usuris receptis, cum de iis solum modò loquatur; ac proinde Advocatum, qui eadem uti velit ad infirmandum testamentum, vel ad impediendam sepulturam defuncti, non debere simpliciter concipere articulum, quòd mutuaverit sub usura, sed & eam receperit. Sæpè enim (ait) contingit, quòd is, qui fœnerari incipit, antè usuræ exactionem moriatur, vel contractus sive pactionis usurariæ eum pœniteat.

8 Quo verò ad cautionem præstandam ex d. cap. Quamquam, ea idonea intelligitur, quæ sit fideiussore vel pignoribus, per textum in l. Mandato Titii § 9, § fin. D. Mandati, Glossa communiter recepta in d. cap. Quamquam, ut testatur Covarr. d. cap. 3, num. 6, Alias verbo cautionis continetur etiam nuda promissio, l. 1, C. De verb. signif. Nec verum est, quòd tradit d. loco Covarr. hypothecam generalem vel specialem non sufficere. Siquidem & ea res, de qua tantum convenit, ut pignori sit nondum autem tradita, rectè & in pignus concessa intelligitur, l. 1, D. De pignorat. act. l. Si tibi 17, §. de pignore D. De pactis: quamvis si verbi proprietatem spectemus, pignus dici non potest, nisi ubi res simul tradita est, l. Plobs 2 38, §. pignus

D. De verb. signif. Et §. item Serviana Instit. De actio. Ubi verò idonea cautio præstari non potest, satis erit usurarium jurasse, quòd fideiussorem vel pignora dare non possit, Glossa in d. cap. Quamquam in V. idoneè, per text. in Auth. Generaliter C. De Episcopis & Clerico, cap. 7, Per nostras sup. de donationib. inter virum & uxorem. Et §. Sed hodie Institus. De satisfactione. Navarr. d. cap. 17, num. 279. Atque hæc indubitata sunt in foro Ecclesiastico. In foro civili sive seculari non existimo vitari testamentum usurarii, propter defectum hujus cautionis non præstitæ: cum hæc res si omittitur peccatum non concernat. Idcirco in eo suffecerit defectum vel nudam cautionem præstitisse, vel eà omisâ agi posse contra ejus hæredes, uti & supra hoc eodem capite iudicatum est.

Cæterum quæstionis est, An sicut testamenta manifestorum usurariorum, non observatæ formæ d. c. Quamquam & lib. 6, ipso jure non valent, idem transferri debeat ad codicillos? Quod vix viderat, cum codicilli à testamentis sint separati, l. fin. C. De codicillis, Et l. Non codicillum 14, C. De testam. ac proinde cum hæc res odiosa sit, non est facilè ad alium casum pertrahenda, cap. Odis D. R. l. lib. 6, Attamen verior est Glossæ sententia, in d. cap. Quamquam, quòd & codicilli eodem modo nullius momenti censeri debeant, ne hæc viâ eludatur constitutio d. cap. Quamquam.

Quam Glossam commendat Felinus in cap. Translatio in fine sup. De constitut. generaliter tradens, quòd, ubi constitutio redderetur elusoria, si non extenderetur, licitè fieri possit ejus extensio, etiam si sit exorbitans & correctoria, optimus text. in cap. Si sententia 16, Et c. Si civitas 17, De sent. excommunic. lib. 6, Deinde aperta juris sententia est, codillos tum demùm eum facere posse, qui & testamentum facere potest, l. Divi 65, codicilli D. De iure codicill.

Sed si quis cum usurarius non esset testamenti tempore, post verò conditum testamentum fiat manifestus usurarius, an ob id irriteretur hoc testamentum? Quòd putat, & rectè quidem Did. Covarr. d. c. 3, num. 9, §. undecimò, cum eadem sit ratio in hac specie, quæ in priori casu. Siquidem canon solemnem hanc cautionem indixit manifestis usurariis, ut usuræ extortæ prorsus restituerentur. Deinde addit & hanc rationem, quòd ad vim testamenti non solum requiratur, ut testator tempore testamenti conditi testari potest,

rit, sed & mortis tempore, l. 1, §. sed si filius D. De le-

11 *gat. 1.*  
 Quid autem, si post factum testamentum usufructuarius manifestus cautionem præstiterit? Censet idem Covarr. d. num. 9, §. duodecimo, testamentum convalescere, eo quod satis fiat constitutioni canonis: & in hanc sententiam plures auctores citat, eamque ex Alexandro communem esse asserit, licet contraria jure verior sit, ex d. §. sed si filius & ex §. non tamen Inst. Quib. modis testam. infirm. Et. Omnia quæ ex testamento D. De R. l. quibus locis inspicitur tempus testamenti, an eo defunctus facere potuerit testamentum. Priore tamen casu facile crediderim, si post testamentum ritè conditum & signatum, fiat usufructuarius manifestus, & deinde cautionem præstiterit, testamentum ex æquitate sustineri, d. §. non tamen Et. Posthumus 12, D. De injusto, rupto, & irrito facto testam. quem admodum & codicilli, ubi ab usufructuario manifesto sunt facti, & postea is cautionem præstiterit, durante eadem voluntate, per text. in d. l. 1, §. sed si filius Et ibi Glossa D. De leg. 3

12 Sed ad reliquas usufructuarius pœnas progrediamur. Notantur usufructuarius & juris infamia, text. est in l. Improbium 20. Et ibi notant Glossa Bart. & Salic. C. Ex quibus causis infamia irrog. Improbium scœnus exercentibus, inquit textus, & usuras usurarum illicitè exigentibus, infamia macula irroganda est. Improbium fœnus vocat, quod est ultra modum præscriptum in l. Eos 26, §. 1. C. De usuris.

Sin verò intra modum, tunc quæstionis est, an & hoc casu infamia irrogetur? Quod putant Guil. de Cuneo, Petrus & communiter omnes Dd. ut testatur Salicetus in d. l. Improbium, quos & idem Salic. sequitur, hac ratione motus, quod usura non solum jure Canonico, sed & Civili interdicitur sint. De jure Canonico liquet ex titulis Decretalium de usuris. De jure Civili allegatis Auth. Adhuc C. De usuris, quæ tamen contrarium aperte probat. Huic quoque sententiæ subscribit Covarr. Variar. resol. lib. 3, cap. 3, num. 2, Sed contra verius & rectius sentit Dominic. Geminius, conf. 77, n. 5, securus Glossam, in d. l. Improbium. Ideo, quod lex pœnalis produci non debeat ad alium casum, quam qui lege comprehensus est, c. Odia De R. l. in 6, l. Interpretatione D. De pœnis. Ad d. l. Improbium loquitur de fœnore improbo, hoc est, illegitimo, non permissivo à lege. Unde hæc res trahenda non est ad usuras, alio jure prohibitas.

Facit, quod in simili argumento eleganter disputant Dd. An pœna à jure Civili constituta in contrahentes nuptias incestas, et sunt exilium & confiscatio bonorum, Novel. 12, de incestis & nefar. nupt. locum obtineant & in nuptiis, quæ tantummodò jure Canonico incesta sunt, non verò ex præscripto juris Civili? Incestas nuptias vocamus, quæ inter cognatos & affines in gradu prohibito contrahuntur, can. Nullum cum can. 199. xxxv. q. 2, Et quidem de jure Civili interdicitur sunt nuptiæ inter fratrem & sororem, item inter fratrem & sororis filiam & neprem, §. fratris Inst. De nupt. non verò inter duorum fratrum vel sororum filios & filias, §. duorum Inst. d. cit. Et l. 3, D. De ritu nuptiar. At de jure Canonico non solum inter hos, sed & inter eorum liberos, usque ad quartum gradum inclusivè, nuptiæ prohibita sunt, cap. Non debet sup. De consanguinitate & affinitate Hic igitur quæstionis est, an eadem pœna auxilii & confiscationis, quæ à jure Civili introducta sunt, pertineant quoque ad filios & filias duorum fratrum, vel sororum, aliosque ex iis descendentes usque ad quartum gradum? Quod putat Did. Covarr. supra citato loco, Et in 4, Decretal. p. 2, cap. 6, §. 8, num. 30. Idque ex communi calculo receptum tradit ex Decio, Diaz, in præct. crimin. canon. cap. 78, Verùm contrariam opinionem communiorè, probabiliorem & magis consonam esse veritati, notat ex Follerio Julius Clarus in §. Incestus num. 3, Addens ex eodem Follerio, quod Decius falsò testatus sit, alteram opinionem esse communem. Quare hanc contrariam opinionem, tamquam mitiorem, & benigniorem sequitur idem Jul. Clarus d. loco. Ratio desumitur ex d. cap. Odia, Et d. l. Interpretatione. Et iniquum planè videtur hujusmodi incestum juris Canonici subijcere pœnis juris Civili, qui disertè ab eodem jure à crimine incestus exemptus est. Unde idem retinendum censeo & in simplici incestu, extra nuptias; ut & hic inter eosdem cognatos vel affines admittus, juris Civili pœnâ minimè coercetur. Et refert Angelus Aretinus in tract. de maleficiis, cheha, adulterata lamia dona, num. 68, Petrum de Anchor. consuluisse, in eo, qui ante secretò concubnerat cum una ex sororibus, & postea sororem alteram pelam in uxorem duxerat, quod idcirco pœnâ incestus plecti non potuerit.

Nam

Nam ut locus sit pœnæ incestus, affinitas æstimari non debet ex præscripto juris Canonici, sed juris Civilis, cujus ea pœna est. Quæ certè ad similes casus pertrahenda sunt, qui licet jure Canonico sint interdicti, tamen ideo juris Civilis pœnâ malè plectuntur, quod jure Civili extra crimen sint. Ut ecce, rem magis illustrando, ad adulterium de jure Canonico non tantum committitur cum uxore aliena, sed & à marito cum quavis solata muliere, *can. fin. xxxi. quest. 5. Et cap. fin. inf. De adulter. De jure viro Civili nullum inter maritum & solutam adulterium est, nullaque pœna adulterii, sed tantummodò cum aliena uxor adulteratur, l. Inter 6, §. lex Julia D. Ad L. Juliam de adul. Unde hoc adulterium de jure Canonico perpetratum malè coerceretur pœnâ juris Civilis.*

14. Cæterum licet usuræ nullâ aliâ pœnâ vindicentur à jure Civili quàm infamiæ, ubi scilicet legitimum modum exceßerint, vel usuræ usurarum petantur, *d. l. Improbua C. Ex quib. causis infamia irrog. nihilominus existimo inter Christianos (apud quos omnes usuræ in crimen vocantur,*

utpote jure divino & Canonico damnatæ) rectè extra ordinem usurarios puniri posse, pro æstimatione judicis, *ex ratione l. 1, §. expilatores D. De pœnis, cum usurarius vix distet à raptore, can. Si quis xiv. quest. 4, Hodie verò in subjectis Romano Imperio certâ pœnâ utimur, ex lege posteriorum Imp. Caroli Quinti, & Rudolphi Secundi in Comitibus Augustanis anno M. D. XLVIII. & Francofurti anno M. D. LXXVII. sub tit. de usurariis contractib. ut videre est ad calcem hujus tractatus, ubi eorum constitutiones referuntur.*

Porro disputationis est, an usurâ mutuo vel venditioni sive alteri contractui in fraudem adjectâ, vitietur & ipse contractus? Hanc rem in controversiam adducit *And. Gail. lib. 2, Objer. 4, Et 5, Sed breviter respondet, totum contractum non vitari, sed tantum usurarum adjectionem. Et rectè, per cap. Vile 37, De R. l. in 6, in l. Usuris 20, in l. Pecunia 9 D. De usuris, Et argum. l. Sancimus 34, C. De donationib. quibus locis expressum est, utile per inutile non vitari in contractibus.*

## CAPVT IX.

## De iudice usurarum.

## SUMMARI A.

1. De iudice usurarum dissensio inter Dd.
2. Quæstio juris & facti quæ dicatur.
4. Et 5. Usurarum crimen esse nisi sibi probatur.

**D**E iudice usurarum non conveniunt Dd. Sunt enim qui existimant causam usurariam tantummodò pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, quocumque modo de eis iudicium instituat, hoc est, sive quæstio juris sit, sive facti.

Quæstionem juris voco, quando controversia est, utrum contractus sive pactio, sive creditoris sola intentio, sit usuraria: facti, ubi quidem constat eam esse usurariam, sed de repetitione usurarum agitur, vel de earum inhibitione. Atque horum sententiam videretur comprobare textus in *cap. dispendiosam De iudic. in Clement. ubi causa usurarum inter Ecclesiasticas recensetur, in cap. 1, sup. De iurejur. ad andamus, inquit summus Pontifex, quatenus creditores ad iuramenta super usuris sibi solvendis præstent, relaxanda Ecclesiasticâ distinctione cogantur.*

*Et in cap. Debitores 6, eod. tit. Et cum usura, ait textus, soluta fuerint, creditores ad eas restituendas, sunt Ecclesiasticâ severitate (si necesse fuerit) compellendi. Idem statuitur in cap. 2, in cap. Tua 13, h. s. De usuris. Nemo verò dubitat, quin distinctio Ecclesiastica, qualis est excommunicatio, suspensio, interdictum, cap. Quarenti 20, inf. De verb. significat. ad Ecclesiasticum dumtaxat iudicem pertineat, can. Corripiantur & ibi Gl. xxiv. quest. 3, cap. 3, sup. De officio iud. ordinariis.*

Alii verò distinguunt inter quæstionem juris & facti, ut illa ad solius iudicis Ecclesiastici cognitionem spectet; facti verò ad utrumque iudicem tam sæcularem quàm Ecclesiasticum. Et hujus sententiæ sunt Paulus de Leazaris, Bart. aliique communiter, teste Panormit. in cap. Cum sit generale num. 17, sup. De foro compet. Eam quoque communem asserit *Did. Covarr. in 4, decretal. par. 2, cap. 8, §. 12, num. 11, Et ratio est, quia in quæstione juris ideo iudex alius adiri non potest quàm Ecclesiasticus, quod agatur de peccato, cujus notio non sæcularis, sed solius Ecclesiastici iudicis est, cap. Novis. 13, sup.*

De iudic. & cap. Per venerabilem 13, §. rationibus sup. Qui filii sint legis. uti videre est & in iuramento, quod an licitum vel illicitum sit, servandum vel non servandum, tantummodò dignoscit iudex Ecclesiasticus, cap. Venerabilem 34, circa fin. sup. De elect. & d. cap. Novis. At ubi iuramentum licitum esse constat, potest & Iudex Ecclesiasticus & secularis adiri, & jurantem compellere ad observationem iuramenti; cum hæc res in solo facto consistat, cap. fin. De foro compet. in 6, & cap. Licet 2 De iurejur. eod. lib. Sin illicitum est, neuter iudicium compellere potest, quòd illicitum iuramentum nullam obligationem inducat, cap. Non est obligatorium De R. l. in 5, can. 1, can. Non est observandum, can. Inter cetera 221, quest. 4, cap. 1, vers. 1, & alia iuramenta De iurejur. lib. 6, Auth. Quod eis C. De nupt. & l. Conditiones 9, D. De conditionibus instit.

Sunt tertii, quibus placet crimen usurarum esse nisi fori, hoc est, tam secularis quàm Ecclesiastici; ac proinde laicum iudicem posse inter laicos de usuris cognoscere, Ecclesiasticum verò inter Clericos. Ita Salic. Archidiac. Calderinus & Barbacia citati a Did. Covarr. Variar. resolut. lib. 3, cap. 3, circa principium. Quæ sententia verissima est, & probat ibid. Covar. usque ad eò licet in questione juris versetur. Idque his rationibus demonstratur. Prima, quòd nullibi sacri Canones interdiciant secularibus iudicibus, ne de hoc crimine inter laicos cognoscant, imò potius permittunt, per text. in cap. Post miserabilem 12, h. t. Secunda, quòd hoc crimen non magis spirituale sit quàm homicidium, quàm furtum, aut simile delictum: quæ certum est ad iudicis secularis tribunal pertinere, ubi scilicet laicus reus est. Tertia ratio; crimen usurarum ex nullo alio capite potest dici Ecclesiasticum quàm quòd sit divinâ lege & sacris Canonibus interdictum. At nihil impedit quid esse verum divinâ lege & sacris Canonibus, ut tamen ejus cognitio ad secularem iudicem spectet, veluti in furto, adulterio, homicidio.

Non movet, quòd usura jure Civili permittatur, saltem quoad legitimum modum præscriptum in l. Eor. 26, §. 1, C. De usuris, ac proinde iudicem secularem de his restituendis vel præstandis cognoscere non posse: cum in foro suo teneatur jus Civile sequi, l. Nemo 13, C. De sententiis & interlocut. omnium iud. & tit. Instit. De officio iud. in princ. Quia respondetur, hæc in parte derogatum esse juri Civili per jus Canonicum, mandante divinâ lege, s. Super 4, & c. Consultuit 10, h. t. ut & sup. cap. 1, latius

docuimus. Quòd sit, ut & iudex secularis teneatur hoc jus Canonicum pertrahere ad forum suum seculare, exploso jure Civili, quo usura perperam permittuntur, per text. in c. fin. sup. De præscriptionibus. Cum generaliter, inquit ibi textus, sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Adde & d. cap. Licet De iurejur. in 6.

Neque ob questionem juris secularis iudex omittere tenetur hanc de usuris cognitionem, quia & ex jure Civili satis elucet, quæ sint usura, quibusve casibus committantur, ut toto tit. D. & C. De usuris: licet jus Civile, ut antè dictum est, perperam admittat certum modum usurarum. Et hanc sententiam etiam probat Caroli V. constitutio Augustæ in comitiis edita anno 1548. postea repetita Francofurti à Rudolpho II. Imp. anno 1577, sub tit. De usurariis contractibus. quæ & per magistratum civilem jubentur usurarii multari, de quibus vide infra ad calcem.

Nec obstat, quòd de jure Canonico censura Ecclesiasticâ perstringantur usurarii, quia id non arguit, usurarium crimen ad solius Ecclesiastici iudicis cognitionem spectare; sed id fit propter denuntiationem Evangelicam, quæ hoc in casu, ut & in certis criminibus, fieri potest Ecclesiæ, id est, Ecclesiastico iudici; ut si serix ejus monitioni peccator non paruerit, tandem censura Ecclesiasticâ subiiciatur, ut est apud Mattheum, 18, cap. ibi. Si autem peccaverit in te frater tuus &c. juncto d. can. Novit, & can. Si peccaverit II qu. 1.

Sed neque illud movet, quòd ubi de peccato controversia est, non sit iudicis secularis dignoscere, sed Ecclesiastici; quia id verum est in re dubia. At utroque jure exploratum est, ubi & quando usura committatur, videlicet, cum quid ultra sortem accipitur vel separatur lucri causâ: sicut supra cap. primo latius deduximus.

Unus restat scrupulus d. cap. Dissendiosam, quæ, ut antè dixi, causa usurarum inter Ecclesiasticas recensetur; sed respondetur, ex eo non planè evinci, quòd idcirco tantummodò ad tribunal Ecclesiasticum pertineat; sed Clementem V. ibi hoc unum spectasse, ut si in foro Ecclesiastico causæ beneficiale, decimales, matrimoniales, & usurarum, proponerentur, hæc simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicii dirimerentur. Sed hæc latius, si lubet, persequere apud Prosperum Farinacium in praxi criminali lib. 1, tit. 1, quest. 8, num. 134, cum seqq. ubi post longam contentionem tandem in hac sen-

teatia conquiret; quamvis & coram iudice Ecclesiastico laicum usurarum nomine conveniri posse censet, per *Dd. à se allegatos*, quod & non prorsus alienum videtur à *d. c. Dissensiosam*.

## DE CENSIBVS SIVE REDITIBVS ANNVIS.

Ad Lectorem.

**H**unc tractatum de Censibus sive redditibus annuis, ideo hic subiecimus, quod magnam illi affinitatem habere videantur cum usuris; imò sunt, qui eos nihil distare existimant ab usuris, sed tantum esse speciem quamdam sive pretextum usurarum liberius exerceudi. Quorum argumenta infra à suo loco recensebimus & refellemus, probabimusque per emptionem & venditionem, & consequenter per contractum bonæ fidei rectè constitutum censum, sive redditum annuum. Sed an etiam per alium contractum, sive in ultima voluntate idem effici possit, in progressu quoque videbitur. Quia verò quoad emptionem & venditionem, extant duæ Decretales Martini V & Calixti III. summorum Pontificum sub tit. de emptione & venditione inter Extravagantes communes, non abs re fore iudico, si suis verbis hic præmittantur, deinde quâ potest brevitate explicentur.

Martinus V. venerabilibus fratribus Trevirensi, & Lubecensi ac Almicensi Episcopis.

**R**egimini universalis Ecclesiæ quamquam immeriti, disponente Domino, præsidentes, curis angimur assiduus, ut juxta creditæ nobis dispensationis officium subditorum quorumlibet paci & quieti (quantum nobis ex alto conceditur) intendamus, & dubia, quæ inter eos oriuntur pro tempore, ne litis anfractum, seu scandalorum parturiant fomentum, nostro moderamine declarentur. Sanè petitio dilectorum filiorum universorum, Cleri, nobilium, incolarum & habitatorum civitatis & diocesis Vratislaviensis nobis exhibita continebat, Quod à cenſuum annis citrà, & suprà, & à tanto tempore & per tantum tempus, cujus contrarii memoria hominum non existit, in iisdem civitate ac diocesi, ac partibus aliis vicinis quædam consuetudo rationabilis observata præscripta ac moribus utentium approbata, ad communem hominum utilitatem introducta fuisset. Pro quibus Princeps, Baro, miles, civis, sive oppidanus partium earumdem, cum hoc expedire videbatur, melius pro tunc non valentes sibi consulere, personæ Ecclesiasticæ aut læculari, collegio aut universitati, oppido, vel civitati, super bonis suis, dominiis, oppidis, terris, agris, prædiis, domibus, hæreditatibus, vendere consuevit, & vendidit annuos censos, unius vel plurium marcarum aut grossorum Pragenſium numi polomei & pagamenti consueti; ad rationem & pro qualibet marca annui censos, decem, undecim, tredecim, quatuordecim marcarum, aut plus vel minus, secundum temporis qualitatem, prout ipsi contrahentes

tunc inter se convenerant, ipsi venditori tunc integraliter in pecuniis numerata solvi consueverant, bonis in ipso contractu tuoc expressis pro ipsius census annui exsolutione in perpetuum obligatis. Et semper in ipsis contractibus expressè ipsis venditoribus data fuit facultas atque gratia, quod ipsum annum censum, in toto vel in parte, pro eadem summa denariorum, quam ab ipsis emptoribus receperunt, quando eumque vellent, liberè absque alicujus requisitione, contradictione, vel assensu, possent extinguere & redimere, ac se ab ipsius census solutione ex tunc penitus liberare. Sed ad hoc hujusmodi census venditores invitati nequaquam per emptores arctari vel adstringi valerent, etiam ipsis possessionibus & bonis obligatis penitus interemptis seu destructis. Fuitque & est talis contractus emptionis & venditionis per Episcopos Vratislaviens. pro tempore existentes & eorum officiales, nec non per diversos dominos temporales locorum & terrarum, in quibus census hujusmodi constituti existunt, tamquam licitus communi utilitati deserviens, sæpius confirmatus pariter & approbatus. Quodque etiam super hujusmodi censibus plurima beneficia Ecclesiastica, collegia, canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus & officia, vicariæ, altaria, numero plusquam duo millia de expresso consensu & voluntate dominorum temporalium, sub quorum territoriis dicta bona obligata consistunt, erecta, dotata & fundata, authenticis eorumdem dominorum temporalium literis, sigillis, sigillatis & roboratis fore noscuntur.

eur. Quodque etiam venditores eorumdem censuum, se nonnumquam ad ipsorum censuum solutionem, penis, & censuris Ecclesiasticis Ordinariorum locorum sponte & libere submiserunt, sicuti etiam aliqui eorum tractu temporis compulsi fuerunt & compelli consueverunt. Tamen nonnulli ex venditoribus ipsis in arcum pravum conversi, cupientes cum alterius pecunia locupletari, huiusmodi census hucusque per eos ante libere & absque ulla contradictione solutos, ejusdem emptoribus tam Ecclesiasticis quam secularibus solvere contradicunt & recusant, confingentes huiusmodi emptionis & venditionis contractus fore & esse usurarios & illicitos, ipsos emptores Ecclesiasticos & seculares, nec non collegia, canonicatus & præbendas, dignitates, personatus & officia, vicarias & altaria, ac beneficia huiusmodi ipsorum annuorum censuum spoliant perceptione, & detinent spoliatos, inanimarum suarum periculum, eorumque emptorum præjudicium, damnum & gravamen: & propterea an contractus emptionis & venditionis huiusmodi liciti existant, à nonnullis hæsitatur. Quare pro parte eorumdem Cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum civitatis & diocesis Vratislaviensis, nobis fuit humiliter supplicatum, ut, an contractus huiusmodi liciti vel illiciti censeantur, declarare, & alias eis in præmissis oportune providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, quia etiam ex relatione dilecti filii nostri Guilielmi tituli sancti Marci presbyteri Cardinalis, cui negotium huiusmodi cum peritorum consilio commissum examinandum, comperimus contractus huiusmodi juridicos, & juxta determinationem Doctorum licitos fore: Ad huiusmodi ergò ambiguitatis tollen-

dum dubium in præmissis præfatos contractus licitos & juri communi conformes, ac ipsorum censuum venditores ad illorum solutionem (reverso contradictionis obstaculo) obligari, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium ex certa scientia declaramus: Non obstantibus præmissis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis infringere, vel eiusdem temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Volentes, quòd prædictæ literæ nostræ debitum sortiantur effectum, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, vel unus vestrum per vos, vel alium seu alios præfatis emptoribus in præmissis opportuni favoris præsidium efficaciter impendentes, dictasque literas, ubi, quando & quoties expedire videritis, auctoritate nostrâ solemniter publicantes, faciatis eadem auctoritate eisdem emptoribus vel ipsorum procuratoribus eorum nominibus, per venditores seu debitores censuum huiusmodi, de præfatis censibus juxta contractuum & conventionum inter ipsos habitorum formam & tenorem, plenam & debitam satisfactionem impendi: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim à sede Apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos VI. Nonas Julii, Pontificatus nostri anno octavo.

Calixtus III. Episcopo Magdeburgen. Nurembergen. & Halberstaden. Ecclesiarum Decanus.

**R**egimini universalis Ecclesiæ quamquam immeriti, disponente Deo, præsidentes, curis angimur assiduis, ut juxta nobis crediti dispensationem officii subditorum quorumlibet paci & quieti (quantum nobis ex alto conceditur) intendamus, & dubia, quæ inter eos oriuntur pro tempore (nec litium anfractus exinde seu scandala proveniant) debito (prout iustitia persuaserit) declarationis nostræ ministerio sopiantur. Sanè pro parte venerabilis fratris nostri

Joannis Episcopi Mersburgensis, & dilectorum filiorum universi Cleri, civitatis & diocesis Mersburgen. nobis nuper exhibita petitio continebat: Quòd licet à tanto tempore, cujus initium memoria non existit, in diversis Alemanicæ partibus, pro communi hominum utilitate, inter habitatores & incolas partium earumdem, talis inoleverit hætenusque observata fuerit legitime præscripta, ac moribus utentium & Ordinariorum permissione, & plerumque expressâ ratifica-



ratione, approbata consuetudo: Quod ipsi habitatores & incolæ, sive illi ex eis, quibus id pro suis statu & indemnitate expedire visum fuerit, super eorum bonis, domibus, agris, prædiis, possessionibus, & hæreditatibus, annuos marcarum, florenorum, seu grossorum monetæ in partibus illis currentis, redditus seu census vendentes, pro singulis ex marcis, florenis, seu grossis huiusmodi ab eis, qui illas vel illos sive redditus, sive census ipsos emerint, certum competens pretium in numerata pecunia, secundum temporis qualitatem, prout ipsi venditores & ementes in contractibus super his inter se firmaverunt & recipere soliti fuerunt, illa ex domibus, terris, agris, prædiis, possessionibus, & hæreditatibus prædictis, qui in huiusmodi contractibus expressi fuerunt, prædictorum solutione reddituum & censuum efficaciter obligantes, in illorum vendentium favorem. Hoc adjecto, quod ipsi pro rata, quâ huiusmodi per eos receptam dictis ementibus restituerent, in toto vel in parte pecuniam, à solutione reddituum sive censuum huiusmodi restitutam pecuniam contingentium, liberi forent penitus & immunes. Sed iidem ementes, etiam si bona, domus, terræ agri, possessiones & hæreditates huiusmodi, processu temporis ad omnimodam destructionem sive desolationem reducerentur opprobrium, pecuniam ipsam etiam agendo repetere non valerent. Apud aliquos tamen hæsitacionis versatur scrupulus, an huiusmodi contractus liciti sint

consendi. Unde nonnulli illos usurarios fore prærendentes, occasionem quærunt redditus & census huiusmodi ab eis debitos non solvendi. Quare pro parte Episcopi & Cleri prædictorum assensurum, quod in talibus sic emptis censibus & redditibus, fructus, redditus, & proventus plurium Ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium & Ecclesiasticorum beneficiorum, civitatis & diocesis ac partium prædictarum, nec non ferè omnes quotidianæ distributiones, quæ in plerisque Ecclesiis ipsis divinis interessentibus, ministrari solent, consistere noscuntur: nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his Apostolica sedis declarationis oraculum impertiri & adicere paternæ dilectione curaremus. Nos igitur huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati & factas ex commissione felicis recordationis Martini Papæ V. prædecessoris, de super examinationes & ejusdem prædecessoris nostri declarationem attentius perstringentes, suisque vestigiis inhaerentes, ad omne super his ambiguitatis tollendum dubium, præfatos contractus licitos iurique conformes, & vendentes eosdem ad ipsorum solutionem censuum & reddituum, juxta dictorum contractuum tenores (remoto contradictionis obstaculo) efficaciter teneri, auctoritate Apostolica præsentium serie declaramus. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LV. pridie Nonas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

## CAPUT X.

*In prædictas Extravagantes, An census seu redditus annui per emptionem & venditionem rectè constituantur?*

## SUMMARIUM.

1. Argumenta contra has Extravagantes reselluntur.
2. Redditi annui cur census vocentur.
3. Facti species harum Extravagantium breviter contrahuntur.
4. Contractus censuales æquitate nititur & jure communi.
5. Obiectio tollitur, quod hic contractus sine re consistat.
6. Referuntur Auctores hunc contractum improbantem.
7. Argumenta contraria dissolvuntur.
8. Hostomanni argumenta reselluntur.

**E**X his Decretalibus Martini V. & Calixti III. passim à Theologis & utriusque juris Doctoribus defendi solent, & quidem rectissime, annuorum reddituum emptiones, & venditiones, quibus nihil ferè hodie frequentius. Nec contra audiendi sunt, qui negant has Decretales authenticas esse, eo quod Corpori juris Canonici, id est Decretalibus Gregorii IX. Bonifacii VIII. Clementis V. & Decreto Gratiani non sint insertæ, ac proinde ex eis certum argumentum deduci non possit: ut hinc Extravagantium nomen adhuc retineant, quasi extra Corpus Canonicum incertâ sede yagentur; quibus & idcirco

non

non semper fides adhibenda est, ut probat textus in cap. Pastoralis & sup De fide instrument. aut si forte fides eis adhibenda sit, eam tamen non generalem esse oportere, sed localem, hoc est, tantum ad eos pertinere, ad quos hæc Decretales directæ sunt. Quorum sententia facillè refellitur ex eodem e. Pastoralis, ubi Innocentius III. Summus Pont. de Extravagantibus in genere consultus, rescribit minime eas repudiandas esse, quæ cum jure communi conveniunt. At verò hæc Decretales jure esse conformes, constat ex contextu earum, videlicet Martini V. in verb. *comperimus contractus hujusmodi juridicos, & Calixti III. ubi, juri que conformes: quod & infra latius demonstrabitur.* Sed & Gregorius XIII. immortalis memoriæ S. Pontifex in Epistola Decreto Gratiani præfixa, has Extravagantes pro authenticis agnovit, licet retento nomine Extravagantium; quod tamen eis nihil officit, ut jam dictum est.

Qui verò eas locales esse voluit, ideo hallucinantur, quòd novam constitutionem non contineant, sed declarationem tantum contractus censuales: an is sit licitus & à jure communi permittus: Quare his submoris, ad ipsas Decretales regrediamur; ex quibus dixi rectissime defendi annuorum reddituum emptionem & venditionem.

Vocantur autem hi redditus vulgò census, quemadmodum & in his Extravagantibus, diversotamen modo, quam in Decretalibus Gregorii IX. *sub tit. De censibus & tit. D. De censibus, & Cod. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.* Nam in iis locis census pro pensione sive tributo accipitur, quod vel ratione personæ, vel rerum alteri solvitur: sicut olim apud Romanos: qui extra Italiam in Provinciis debebant, census, id est, tributum capitis & soli, referebant Principi vel populo Romano: exceptis iis, qui beneficio Principis essent jus Italicum consecuti, *l. fin. D. De censibus.* Ad cujus similitudinem videtur hic census introductus; cum nihil aliud designet, quam jus exsolvendi pensionem sive redditum annuum, per contractum emptionis & venditionis constitutum. Proinde longè is distat ab usura, quæ propriè ex mutuo vel quasi provenit, salvâ sorte: quod non est in emptione & venditione, in qua fors, id est, pretium amittitur, & venditori sine spe repetitionis applicatur. Sed facti speciem utriusque Decretalis hic breviter perstringamus.

Inoleverat consuetudo ultra centum annos & hominum memoriam in civitate & diocesi Vratislaviensi & vicinis locis, quòd Princeps, Baro, miles, civis, alii que incolæ, pecuniâ aume-

ratâ & integra recepta, annuos census ad rationem unius grossi, sive marcæ pro 10. 11. 12. 14. sive etiam pluribus vel paucioribus, juxta temporis qualitatem & conventionem partium, venderant: bonis in ipso contractu tunc expressis, & pro ipsius census annui exsolutione in perpetuum obligatis. Adjecto tamen pacto, ut libera maneret facultas venditori, ipsum annuum census vel in totum vel pro parte, refuso census pretio, quando eumque redimendi & extinguendi: In vitus tamen venditor ad id constringi non posset ab emptore etiam peremptis bonis, pro eodem censu obligatis. De hac igitur consuetudine, cum aliquando dubitatio incidisset, propter venditores censuum, qui hujusmodi contractum usurarium esse obtendebant, & idcirco solutionem subterfugebant, consultus S. Pont. Martinus V. rescribit hæc Decretalis sua, tales contractus censuales esse licitos, & juri communi conformes, venditoresque ad eorum solutionem adstrictos esse. Idem & Calixtus III. ab Episcopo Mersburgensi & ejus Clero aditus respondet. Hæc breviter utriusque Decretalis sententia est.

Ubi in primis animadvertendum est, quòd utriusque Pontificis decisio sive potius declaratio, non nitatur allegata consuetudine locorum (siquidem consuetudo, si aliàs usurarius esset hic contractus, non posset eum facere non usurarium, sed magis augetet ejus crimen, *cap. fin. sup. De consuet.*) sed contractus naturam respicit, quòd scilicet is æquitati & juri communi conveniat, sicut constat ex prioris decretalis § *Quare pro parte eorumdem & posterioris vers. Nos igitur hujusmodi, &c.*

Quòd autem hic contractus censuales licitus & juri conformis sit, liquet ex eo, quòd sit merus contractus emptionis & venditionis, jure gentium comprobatus & receptus, *l. Ex hoc §. D. De iustitia & jure, & §. jus autem gentium Insti. De jure naturali, gentium.* Nam sicut in aliis rebus emptio & venditio rectè contrahi dicitur, ubi de pretio rei conventum est, *l. Nec emptio §. cum §. seqq. D. De contrah. empti. & tit. Insti. De empti. & vendi. in princ. & §. pretium, ita & in hoc contractu censuali, in quo res quæ venit (vulgò mercem appellant, sed ineptè, cum mercis nomine tantummodò contineantur res mobiles, *l. Marcus §. 6. D. De verb. signif.* annuus verò redditus sive census inter res immobiles recensetur in *cap. Exivi §. cumque annui De verb. signif. in Clement.*) Dico igitur res quæ venit in hoc contractu, est ipsa obligatio præstandi cen-*

sum annuum: pretium verò, certa pecuniæ quantitas utrimque conventa; quæ cum veram emptionem & venditionem constituent, debitare non convenit, quin & hic contractus naturâ suâ licitus sit.

Nec movet, quòd in his Extravagantibus Martini V. & Calixti III. multa & variæ conditiones exprimentur, ultra justum pretium & obligationem; quia illæ ad essentiam hujus contractus non pertinent, sed ex pactione adjectæ sunt, ut aliàs solet fieri in omnibus contractibus, l. *Iurisdictionum* 7. §. *quintimo* & §. *adeo* D. De pactionibus, l. *Pacta novissima* 12. l. *In bona fidei* 13. l. *Pactum* 17. cum similib. C. De pactis & toto tit. C. De pactis inter empt. & vendit. Et hoc cum sit, dicitur contractus legem recipere ex conventionione, l. 1. §. *si conveniat* D. Depositi, & l. *Contractus* 23. D. De R. l.

Sed objiciunt quidam, nullam esse hujus rei emptionem & venditionem, quòd sine re constare non possit emptio & venditio, d. l. *Nec emptio in princ.* D. De contrah. empt. At in contractu censuali emitur census, antequam constitutus sit. Verum respondetur, non solum rei existantis, sed & futuræ emptionem & venditionem rectè fieri; veluti cum jactus piscium vel avium vel missilium emitur, ut idem textus in d. l. *Nec emptio* & in l. *Si jactus* 13. D. De actionibus empti, aperte testatur. Nam & ususfructus ceteræque servitutes per emptionem rectè induuntur & constituuntur, l. *Necessario* 8. §. *fin* D. De periculis & commodo rei vend. & §. *si quis velit* 13. D. De actionibus empti. Et profectò, si ususfructus rectè emitur d. §. *fin* nihil impedit, quin & census annuus eadem ratione rectè ematur, saltem in fructibus consistens, §. *quoniam* vers. *licebit* Novel. 72. *Ut hi qui se obligat habere perhibent.* Quòd si in fructibus id receptum est, cur non item in pecuniæ reditu? Sicut evenit & in prædiis locatis, quæ annuum reditum in pecuniaria pensione præstant, l. *Si in lege* 24. §. *Si domus cum §. seq.* & l. *Quaro* 54. §. *inter locatorem* D. Locati, l. *Licet* 8. C. De locato, & cap. §. *sup. eodem tit.* Adde etiam Novellam Justin. 160. in fine, quæ extat inter Novell. è Græco in Latinum conversas à Gregorio Haloandro, in qua manifestè hic contractus à contractu mutui & usurarum distinguitur, quemadmodum etiam animadvertit Didac. Covarr. *Var. resol. lib. 3. cap. 7. num. 2.*

Ut hinc rectè censentur Dd. annui census sive reditus emptionem & venditionem licitam & inculpata esse, quos longâ serie recenset Andr. Tiraq. *de retractibus consang. §. 1. Glossa 6. nu. 15.* & An-

dr. Gail. *lib. 2. obs. 7. num. 5.* Ad eò quod pulchrè asserat idem Tiraquellus, hanc sententiâ transisse in rem judicatam, hoc est, nullâ amplius ratione impugnari vel retractari posse; dum tamen fraudabit, & interveniat justum pretium. Quod quantum & quale sit infra dispicietur.

Referunt quidem, Didac. Covarr. *d. cap. 7. num. 6. 7. vers. quinto* & Binsfeld. *in cap. In civitate* quest. 11. *De usuris*, Salicetum in *Auth. Adhac in fine* C. De usuris. Henricum Gandavensem, *quodlibet. 7. quest. 12.* & Gregor. Ariminensem apud eundem Salicetum *respondeo gravissimos & doctissimos viros*, hunc contractum censualem improbasse, quemadmodum & de Innocentio & Joan. Andrea testatur Gregor. de Valentia *como 3. commentar. Theolog. disput. 5. qu. 2. puncto 1. de censibus.* Sed minus rectè referunt de Saliceto & Gregorio Arimineni, ut testatur Lectio ipsius Saliceti, quæ de alia specie loquitur. Innocentius verò & quem iisdem verbis recitat Joan. Andrea, *in d. cap. In civitate hoc tit.* non damnant hunc contractum, sed tantummodò consulunt ab eo abstinendum esse.

Nihilominus solent à plerisque moveri argumenta adversus hunc contractum censualem, non quidem ad infringendum eum, sed ad excutiendam & illustrandam rei veritatem; cum, ut dici solet, disputando magis eruarur & elucescat veritas. Nisi quòd solus Franc. Horomanus odio & invidiâ magis, ut videtur, incitatus in Romanum Pontificem, hanc Extravagantem Martini V. & consequenter etiam Calixti III. serid, sed frustra oppugnare & convellere conatus sit, ut infra paulò post demonstrabitur.

Igitur hæc sunt præcipua argumenta, quæ adversus annuum census sive reditum, moveri solent. Primum, quod pecunia naturâ suâ sterilis sit, hoc est, nullum fructum ex se producat, sed potius utendo consumatur, §. *constituitur* Inst. De usufructu; ergò quod ejus ratione percipitur, lucrum est, id est, usura, can. *fin. xiv. quasi 3.* his verbis *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur: verbi gratia, si dederis solidos 10 & amplius quaesieris, usulaberis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris.* Non igitur census, qui singulis annis currit & recurrit, emolumentum quæ adfert, licitus est, sed usurarius. Verum huic facile occurritur, quòd argumentum rectè procedat in contractu mutui, qui cum stricti juris sit, non venit in eo aliud præstandum, quàm quod mutuo datum est, etiam si per pactum aliud quid adjectum sit, l. *Rogasti* §. *sed si decem dederis* D. Si certum petatur. Per stipulationem

neff valeret quidem usurarum adjectio de jure Civili, tamquam ex nova & diverfa causa obligat onis, l. 3. *Cod. De usuris*, non tamen de jure divino & canonico, quo & hæc stipulatio utpote usuraria planè rejicitur & damnatur, per textum in *can. Si fenerator verus* xiv. quæst. 3. & *cap. Conjulus* 10. *vers. verum quia hoc tu cum similib.* Aliud est in emptione & venditione, quæ bonæ fidei est & omni jure permissa, etiam cum emolumento: alioquin nec prædium liceret emere, fructuum ejus percipiendorum & lucratorum causâ. Quod absurdum foret.

Secundum argumentum: In hac emptione & venditione census videtur, si non verum mutuum, saltem fictum sive interpretativum versari, in quo æquè lucri accessio interdicta est atque in vero mutuo, *cap. Ad nostram* 5. *sup. De empt. & vendit.* *cap. illo* 4. *sup. De pignoris.* & *cap. In civitate* 6. *hoc tit. De usuris.* Ut enim in contractu mutui teneatur debitor ejusdem generis pecuniam restituere, l. 2. *D. Si certum pet.* sic & in hoc contractu venditor, si census à se antè constitutum velit redimere: ita quòd utroque casu maneat creditori fors salva unâ cum lucro, donec fors à debitore vel ejus successore refundatur. Sed & huic respondetur, quòd in hoc contractu censuali nullum subest mutuum vel verum vel fictum, sive interpretativum. Siquidem, ut rectè tradit Covar. *lib. 3. Variar. resolut. cap. 7. vers. secundaratio*, in mutuo cogitur quis sortem solvere, quia ea est in obligatione; non autem in hoc contractu venditor, qui census constituit, compellitur sortem restituere; cum ea non sit in obligatione, sed tantum præstatio census annui, quem interim lucratur emptor, donec eadem pecunia, quæ census emprus est à venditore, vel ejus successore, redatur, sicut accidit & in emptione fundi, adjectâ lege revenditionis sive restitutionis, l. 2. *C. De pactu inter empt. & vendit.* Nemo autem hanc legem venditioni fundi appositam idèò justè reprehenderit, quòd interea dum redimitur vel restituitur fundus, emptor fructus ejus percipiat, & in commodum suum convertat.

Tertium argumentum est; quòd hic contractus annui census videatur præbere occasionem otiosis hominibus impune grassandi in alienas opes, dum ne incidant in crimen usurarum & ejus pœnas, ad hunc contractum confugiunt, lucrum interdum certius ex eo querentes, quàm si fœnori pecuniam suam exposuissent: quorum malitiam migimè indulgendum est, *d. cap. Ad nostram* *sup.*

*De empt. & vendit. & l. In fundo* 38. *circa fin. D. De rei vindicat.* Cum & vulgata juris regula illis refragetur: Cum quid unâ viâ prohibetur alicubi, ad id alia non debet admitti, *et Cum quid una De R. I. in 6.*

Sed & huic argumento rectè occurritur: nos non probare intanam hanc octosorum hominum mentem in fraudem usurarum conceptam: nihil tamen prohibere, si, ut rationibus suis ipsi magis consulant, hoc contractu censuali à jure permissio utantur ad compendium suum; cum nemo censetur dolio facere, qui suo jure utitur, l. *Nullus videtur D. De R. I.* Etenim si hoc admissum est in emptione prædii, cur non similiter & in emptione census annui in si quod fundi empti periculum ad emptorem spectet, *§. cum autem Institutus De empt. & vendit. l. 1. C. De peric. & commodo rei vend. cum similib.* non autem in venditione census, in quo emptoris nullum tale periculum vertitur, si naturam hujus contractus inspiciamus; cum in eo persona venditoris principaliter ad præstandum census obligetur, & securitatis causa adjeratur fundus vel aliud prædium. Quamvis hodie ex constitutione Pii Quinti idem statutum sit & in emptione census, quod in prædio empto, ut scilicet & in illa prædium census nomine obligatum sit periculo ipsius emptoris, de quo supra infra. Nec impedit dicta juris regula *Cum quid una, &c.* quia ea exaudienda est quoad id, quod principaliter lege prohibetur, secus si in modo aut in via prohibitio sit: tunc enim interdictum non est, alio modo aut via legitima rem institui & confici, quemadmodum videmus in hæreditate, quæ licet pactione alteri relinqui non possit, testamento tamen potest, tamquam via legitima, l. *Hereditas* 5. *C. De pactu conventu, & l. Licet* 19. *C. De pactis.* Eodem modo, et si creditori permissum non sit captare lucrum ex contractu mutui, tamen ex contractu emptoris & venditionis ipsi licet, uti liquet ex his Extravagantibus.

Quartum argumentum est; quòd iniquum videatur, ut secundum has Extravagantes constitui possit census annuus unius grossi aut floreni, pro pretio decem vel undecim grossorum sive florenorum, cum non solum id adverteretur sanctionibus Imperii, quæ in singulos florenos viginti, ut minimum, pretii loco requirunt: & sic centum in quincunces annuos, sicut videre est in *Recessibus Imperii celebratis anno Domini 1530. & 1548.* quæ recitantur infra ad calcem hujus tract. verum etiam repugnet moribus sive constitutionibus

bus aliarum provinciarum. Nam ut testis est Navarr. in trad. de Juris num. 104. in Aragonia item quinq; in centum imputantur, in regno Navarra sex, in regno Castellæ 7. uti & Romæ communiter. Sed cum addat ibidem Navarrus, in quibusdam partibus Galliarum constitui censum ad rationem decem pro centum, mirandum non est, si & in Vratislaviensi diœcesi aliisque locis, quorum meminerant Extravagantes nostræ, consuetudine receptum sit, ut pro decem vel undecim, vel quatuordecim, unum quotannis solvatur. Cuius rationem idem Navarrus adfert, quod pretia pro varietate gentis, terrarum & temporum, pro copia vel penuria eorum, vel vendentium, aut mercium, pecuniæ numeratæ variari solent, per textum in l. Pretia rerum D. Ad leg. Falcid. Ad id quod iustitia hujus contractus censualis, non ex pretio unius aut alterius provinciarum, sed ex lege sive consuetudine singulorum locorum æstimari debeat.

8. Cæterum videamus argumenta Franc. Hotomanni contra has Extravag. l. lib. 1. Observ. cap. 15. negat contractum censualem dici posse emptionem, eo quod emptio sit ex eorum numero, quæ solo consensu contrahuntur. At verò censualis contractus re contrahitur, cum antiquam numerata sit pecuniæ, nullam obligationem inducat. Secundò, in emptione & venditione ultrò citroque obligatio nascitur; sed in hoc contractu is dumtaxat, cui fundus traditur, adstringitur. Tertio, in emptione & venditione contrahenda, res quanti est, in solidum æstimatur; hæc autem non fundus sed ejus tantum annuus proventus æstimatur.

Sed responderetur ad Hotomanni primum argumentum, quod & hic contractus solo consensu inaeatur, ut in ceteris emptionibus; neque requiri necessarii pecuniam antè numeratam esse, quam inducatur obligatio, cum hoc nullo jure cautum sit; nisi quod Extravagantes nostræ tantum ex facto proposuerint, pecuniam tempore contractus numeratam fuisse: quod ad juris necessitatem nequaquam pertrahendum est. Tamen si verum sit, eam obligationem sine effectu esse, donec pecunia annumerata sit. Verum & id commune est ceteris emptionibus, l. Lulianus 14. §. offerri D. De actionib. empti & vend.

Quoad secundum argumentum, quis non videt ex hoc contractu etiam utrimque obligationem nasci? Nonne ex parte emptoris, ut pecuniam prius numeret, quam agere possit ad præstationem census, d. §. offerri? Ex parte verò venditoris, nonne ut hic, persoluto ab emptore pretio, censum decurso anno pendat?

Fallitur Hotomannus, cum addit, cum cui fundus traditur, tantummodò astringi; cum in hoc contractu nulla fundi traditio fiat, sed hypothecæ tantummodò loco obligetur fundus, apud venditorem ipsum remanens.

Ad tertium argumentum, quod scilicet in emptione res quanti est in solidum æstimetur, hæc autem solummodò proventus ejus. Quid ergò non igitur emptio & venditio est? Planè inepta est hæc consequentia. Obligatio in personam emittitur, tamquam jus aliquod incorporale, cum accessione hypothecæ.

## CAPUT XI.

## De modis sive conditionibus contractus censualis.

## SUMMARIÆ.

1. Conditiones in dictis Extravagantibus præscriptæ an necessariae sint in omni contractu censuali?
2. Censualis contractus an personalis absque pignore constitui possit.
3. Pii V. constitutio de censu annuo.
4. Conditiones Pii V. ad constituendum censum annuum.
5. Qui annui census per eam rejiciantur.
6. 7. Cur hujusmodi conditiones requisitæ.
8. Conciliatio dictarum Extravagantium cum decreto Concilii Constantiensis.
9. Pacto redimendi censum an præscribi possit?
10. Contra annuam præstationem an currat præscriptio.
11. Censum seu redditum annuum in qua moneta solvenda.
12. Valor intrinsecus monetae quando mutatus dicatur.
13. Emptio redditus personalis an licita?
14. Qualis eo casu iniri debeat ratio justipretii.

Quod accedendo propius ad eandem Extravag. animadvertendum est, Martinum V. & Calixtum III. Summos Pontifices aperte non decidisse, an in quolibet contractu

genuali necessariò requirantur omnes conditiones in eis expressæ; sed tantùm ex facto consultos de certa specie contractus rescripsisse: cujus conditiones breviter hæ erant, ut ex ipsis Extravagantibus colligitur. Prima, quòd bona certa assignarentur & obligaretur pro exsolutione census. Secunda, quòd pretium census conventum integrum numeraretur. Tertia, quòd venditori facultas relinqueretur totum vel partem census, quando & ubi sibi videretur, redimendi. Quarta, quòd venditor ad relucendum censum non adstringeretur. Quinta, quòd bonis obligationi subiectis & peremptis, census quoque perimeretur.

Unde non immeritò in dubium vocatur, An in qualibet constitutione census prædictæ conditiones omnes necessariò exigantur? Quod videtur velle Marr. Navarrus *d. tract. De Usuris num. 72.* & Petr. Binsfeld *in cap. In civitate post recitatus à se has Extravag. concl. 2. hoc tit. De usuris.*

E contra Dominicus Soto *de iust. & iure lib. 6. quæst. 5. art. 11.* existimat nullam harum conditionum necessariam esse, præter hanc, iusti pretii, & ne venditor cogi possit ad redimendum censum. Quam sententiam tueretur & Did. Covarr. *Variar. resol. lib. 3. cap. 7. num. 5.* Ubi iure verius esse censet, annum reditum pecuniâ solvendum etiam cum pacto redimendi, constitui posse solum obligatione personali, absque ulla bonorum assignatione & hypotheca, sive illa generalis incerta sive specialis sit. Quo loco etiam hujus sententiæ suffragatores citat Conradum, Molinæum, & Dominicum Soto, sed hunc postremum vitiosè, *art. 5. cum sit art. 1. à nobis jam ante citatus.* Eandem sententiam attestatur. Andreas Gail. *lib. 2. Obser. 7. num. 13.* generali passim consuetudine receptam esse, atque aded in Camera Imperiali comprobata. Sed videamus, quibus iuribus & rationibus ea confirmetur. Nec enim res exigua est, in re tanti momenti & quotidiana dubitanter versari. Et quidem Did. Covarr. *d. num. 5.* eam his argumentis adstruere conatur. Primò ex his Extravag. Mart. V. in vers. *sed ad hoc,* & Calixti III. in vers. *sed & iidem ementes,* dum vult ex his colligi, quòd peremptis bonis, super quibus census constitutus est, nihilominus salva maneat obligatio census, licet venditores cogi non possint ad refusionem pretii pro censu numerati, quia ea per exceptionem rei peremptæ excluditur. Nihil ergò impedit, quin ab initio in persona venditoris census possit constitui.

Secundum est, quòd possit quis alteri donare pensionem annuam nullâ aliâ obligatione quàm personali, *per text. in l. Sancimus 24. §. fin. cum l. seq. §. si vero reditum, juncto §. seq. vers. in reditibus C. De donationibus & in l. Fundus 9. D. De annuis & mensur. leg.* Ergò etiam constituto & numerato pretio, cum nulla diversitatis ratio reddi possit. Sed Navarrus *d. tract. num. 70.* hanc diversitatis rationem dat, quòd in constitutione census per donationem nulla possit esse fraudis usurariæ suspicio: secus, si per pecuniam constituitur. Ego certè non video, cur reditus antiquus æquè constitui non possit per emptionem, atque per donationem, cum uterque contractus utroque jure permissus sit.

Tertium est, quòd quis possit locare operas suas, certâ mercede constitutâ, *l. In operis 23. §. l. Qui operas 41. D. Locati,* ergò etiam jus solvendi censum ex persona sua. Neque ob id libertas personæ læditur, ut perperam existimat Navar. *suped. tract. num. 8.* cum omnes obligationes personales non nisi in liberis hominibus constituantur, quibus se liberare & eximere possunt, solvendo vel aliter satisfaciendo creditori, *tit. Instit. in princ. Quibus modis tollitur oblig. & l. Solutionis 54. D. De solutionib.* Alias debitores, salva etiam libertate, in carcerem detrahuntur, nisi bonis cesserint, *l. i. C. De his qui bonis cedere poss.*

Quartò, argumentatur Covarr. ex natura ipsius contractus. Nam, inquit, si naturam ejus spectemus, proculdubio obligatio ad solutionem annui census personalis est, fundus verò vel alia res, in qua fundatur census, accessoriè adjicitur jure pignoris vel hypothecæ, ut eo magis consultum sit emptori census, *d. l. Fundus 9. & ibi Bart. D. De annuis & mensur. leg.* Ideoque re ipsâ extinctâ perseverat nihilominus obligatio personalis ad annui census solutionem, *l. Creditor qui non idoneum 28. D. Si certum per l. Adversus 0. C. De actionib. & obligat. l. Quamvis 8. C. De pignorb.* Atque hæc sunt rationes Did. Covarr. quibus putat evinci posse, annum censum in sola venditoris persona posse constitui; quæ & sunt Dominici Soto loco *suprà citato* Quibus accedat textus opt. in *l. fin. §. fin. D. De contrab. empt.* ubi respondet J. C. Scævola in hac facti specie: Lucius Titius promisit de fundo suo centum millia modiorum frumenti annua præstare; respondet, inquam Scævola, vendito eodem fundo non obligari emptorem. Sed & Extravagans Calixti III. videtur idem innuere dum his verbis utitur, *in illorum*

*venditorum favorem*, hoc est, ut eo facilius propter hypothecam sive obligationem bonorum suorum possint invenire emptorem census. Quo fit, ut ad hujus censuales contractus constitutionem & perfectionem non videatur requiri necessarium hypotheca bonorum ipsius venditoris, si ita visum fuerit contrahentibus. Imò, quod verius est, magis interest venditoris, ne res suæ

hypothecæ subijciantur, sed sint absque hoc onere.

Cui sententiæ facile ego accederem; nisi me cogeret subsistere Pii V. constitutio de censibus, quam referunt Mart. Navarr. *in d. tract. de Vjura*, num. 84. & in *Manuali cap. 17. num. 234.* & Petrus Binsfeldius *in d. c. In civitate*, sub his verbis.

*Pius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

**C**um onus Apost. servitutis obcunctes cognoverimus innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuum contractus, qui necdum continentur intra limites à nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos; verum etiam, quod deterius est, contractus omnino pactioibus, propter ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum præferunt: non potuimus, animarum, prout tenemur, salutem consulentes & piarum mentium petitionibus etiam satisfaciennes, tam gravi morbo leniferoque veneno salutari antidoto non mederi. Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum sive annum reditum creari, constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit. Rursum, nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro iustoque pretio. Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci prohibemus. Conventions directæ, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quia volumus rem ipsam semper & liberè ac sine solutione laudemii, seu quinquagesimæ aut alterius quantitatis vel rei, tam inter vivos quàm in ultima voluntate alienari. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum censualiis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, etiam per mensem expectari. Pacta continentia morosum debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium seu certas expensas, aut certa salaria, aut adalaria, seu expensas, medio juramen-

to creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, seu aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint & nulla. Imò & censum augeri & novum creari super eadem vel alia re in favorem ejusdem; aut personæ per eum suppositæ, pro censibus temporis vel præteriti vel futuri, omnino prohibemus. Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de jure, & ex natura contractus non spectarent. Postremò census omnes in futurum creandos, non solum re in totum, vel pro parte peremptâ, aut infructuosâ in totum, vel pro parte effectâ, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui; non obstante etiam longissimi temporis ac immemorabili, imò centum & plurium annorum præscriptione: Non obstantibus aliquibus pactis, directè vel indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clausulis concepta sint. Cum verò traditione pretii reditus extinguendus erit, volumus per bimestre antè id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denuntiationem, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse: & ubi pretium nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur: Volumus nihilominus quancumque reditum extingui posse, præviâ tamè semper denuntiatione, de qua supra; & non obstantibus hæc, de quibus supra; idque observari mandamus, etiam quòd pluries, ac pluries denuntiatum fuisset, nec umquam effectus securus fuisset. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus; contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratios judicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quicquid

vel

vel expressè vel tacitè contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti coatingat, à filio volumus posse vindicari. Hanc autem saluiferam sanctionem ne dum in censu noviter creando, verum etiam quòd in creato quocumque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuè & in omnibus seruari volumus. Declarantes pretium semel censui constitutum, numquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatè, seu aliud accidens, nec quoad ultimè contrahentes minui vel augeri. Et licet legem ipsam ad contractus iam celebrandos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contra census bonorum religiosorum subijciant, & animarum salutem consulant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, nec non privilegiis & literis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nostris, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, nec non irritantibus decretis ex quavis causa, etiam per modum legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem universitarum, communitarum, congregatorum, civitatum & locorum concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores presentibus pro expressis habentes, quatenus directè vel indirectè præsentis nostræ constitutioni in toto vel in parte contrariantur, specialiter & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: Volumus autem, quòd presentes in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones Extravagantes perpetuè valituras conscribantur. Et quia difficile foret presentes ad singula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quòd earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis ac sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, iudicii, hortationis, derogationis, declarationis & voluntatis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se

noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1768. 14 Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quarto.

Ex hac igitur constitutione constat, Pium V. non fuisse contentum conditionibus in Extravag. Martini V. & Calixti III. comprehensis, sed & alias requirere tamquam planè necessarias ad emptionem & venditionem census liciti. Quarum hæc prima est, ut census constituatur in re immobili vel quasi, sui natura frugifera, certisque limitibus circumscripta. Secunda, & id quidem pecunia numerata coram testibus & Notario in ipso actu celebrationis, instrumenti. Tertia, ne ineatur emptio ejus anticipatis solutionibus aut in pactum deductis. Dicuntur verò anticipatæ solutiones, quæ fiunt initio anni vel nondum decurso anno, quo pensio ex natura contractus non antè solvi debebat. Quarta, ne venditor in se suscipiat casus fortuitos, ut sunt, aquarum inundatio, sterilitas, incendium, quæ ex natura contractus non solent præstari à venditore. Quinta, ne pactum adjiciatur restringens vel adimens venditori facultatem alienandi rem censui subjectam, aut si in mora fuerit solvendi, rem integram vel pro parte amittat, vel aliud præstet pœnæ nomine. Sexta, ne liceat venditori census redimere in perpetuum vel ad certum tempus. Septima, ne census novus imponatur, vel vetus augetur ex pensionibus nondum solutis, vel in posterum solvendis. Octava, ne possit census eodem pretio refuso extingui, quodcumque etiam iam memoriali tempore: Ita tamen, ut, si venditor vel alius, qui ad solutionem census obligatus est, eum redimere velit, teneatur id emptori bimestre tempus ante denunciare. Quo exacto, si fortè redemptioni satisfactum non erit, liberum maneat emptori invitum cogere venditorem ad redimendum census, non verò post annum, cum eo elapso potestas redimendi libera rursus redeat ad venditorem sive ejus heredem.

Has igitur condiciones summarim à me contractas requirit Pius V. in constituendo censu licito, ad eò ut, si una earum defecerit, illis licet & usurarius. Ut hinc per primam conditionem abrogetur census in persona venditoris constitutus, & is, qui generalem sive incertam habet hypothecam, non designatis scilicet limitibus: non verò excludatur census sive redditus annuus, in quo tamquam in re immobili novus rursus cen-



sus vel reditus constituitur, per text. in cap. Exivi §. cumque annui reditus. De verbor. sign. in Clement. & per eumdem textum ita respondit Navarr. d. tract. De Usuris num. 87. licet id scrupulo non careat, inspecta hac constitutione.

Sed utrum excludatur Principis Camera, id est, ararium, vel Cavena, hoc est, penuarium, horreum sive cellarium, majoris contentione est, eo quod hæc natura sua non sunt fructifera, sicut requirit Pii V. constitutio. Attamen cum jure feudali inter immobilia reconsecantur, & ex iis feuda dari possint, cap. 1. §. si de feudi cognit. in lib. feud. propius est, ut & in eis constitutionem census annui admittamus. Nam tamen si naturam suam fructum non ferant, tamen in hoc comparata sunt, ut perpetuam accessionem veluti fructum habeant, arg. leg. Venationem 2. 6. D. De usuris.

Per secundam & tertiam conditionem derogatur naturæ emptionis & venditionis, quæ est, ut statim contracta ea intelligatur, ubi de pretio conventum est, quamvis pretium nondum sit numeratum, neque scriptura intervenierit, l. 2. D. De action. & obligat. tit. Inst. De obligat. ex consensu, & tit. Inst. De empt. & vend. in princ.

Per quartam reliquasque conditiones Pii V. derogatur huic juris sententiæ, quæ contractus dicuntur legem accipere ex conventionione, l. 1. §. si conveniat D. Depositi, l. Contractus D. De R. I. l. Iuris gentium 7. §. quinimo §. adeo §. item si quis pactus sit D. De pact. l. si. C. De rebus alienis non alien. & c. sup. De commodato.

6 Cæterum Pius V. prædictas conditiones in emendo censu annuo, partim admittendas, partim rejiciendas ideo censuit, ne quid in fraudem usurarum à contrahentibus committeretur, sed ut sincerè & incorruptè hic contractus exerceretur. Quod & verba ejusdem constitutionis expressè indicant, ubi, & licet legem ipsam ad contractus jam celebratos, &c. quibus contractus antè alia forma celebratos non planè irritat (quod alioqui necesse esset) sed bonorum religiosorum censuræ subjei hortatur in Domino.

7 Quare propter hanc constitutionem Pii V. summa difficultas oritur inter Dd. cur contractus censuales aliâ formâ inrens sive conceptus, usurarius sive fœneratitius censeri debeat. Nam quid, quæso, pertinet ad contractum usurarium, rem, in qua census fundatur, oportere esse immobilem vel quasi suis limitibus circumscriptam? Item pecuniam coram testibus & Notario numeratam esse, ceteræque ferè omnes conditiones;

cum contractus non tam ex verbis quàm ex mente contrahentium æstimetur, toto tit. C. Plus valet quod agitur. Item quâ ratione ab hoc eodem crimine vindicabimus Extravag. Martini V. & Calixti III. supra recitatas, in quibus plurimæ conditiones à Pio V. præscriptæ desiderantur, & tamen contractus eâ formâ celebrati declarantur ab iisdem liciti & inculpati?

Refert Petrus Binsfeld in cap. In civitate hoc tit. de usuris dubio 2. conclus. 8. §. obvia confirmatio, non dissimilem casum à prædictis Extravagantibus Martini V. & Calixti III. imò paucioribus conditionibus sive pactionibus informatum contractum census, quem nihilominus testatur à multis Dd. tam Theologis quàm J.C. uti licitum, approbatum fuisse in Concilio Constantiensi, quod sub eodem Martino V. celebratum est; quem vide apud eundem (nec enim hic repetere necesse est) ita quod mirum sit Pium V. sanctissimæ memoriæ Pontificem tacitè improbasse has Extravagantes Martini V. & Calixti III. cum sententiam prædictorum Dd. Constantiensis Concilii, dum contractus censuales absque conditionibus à se præscriptis initos judicet tacitè esse fœneratitios, & consequenter jure divino & Canonico improbatos, cap. 3. cap. 5. & cap. 10. hoc tit. aut certè antè factos bonorum religiosorum censuræ subjiciendos esse.

Ut igitur in hac summorum Pontificum & Doctorum Constantiensis Concilii dissensione conciliatio aliqua inearur, hoc opus, hic labor est. Navarrus in d. tract. de Usuris num. 105. conditiones Pii V. in duas classes distribuit. Quasdam enim vocat juris naturalis & divini; videlicet, quod contractus usurarius damnatus sit, & consequenter in re frugifera & immobili constitui debeat. Quasdam juris humani, ut pretium solvatur in pecunia numerata coram Notario & testibus; & ut venditio rei censui subjectæ antè bi-mestrem denuntiari debeat emptori; aliasque ejusdem generis, quæ ex jure naturali aut divino planè erui non possunt. Quod pertinere vult & hanc clausulam: Contractusque sub alia forma post hæc celebrandos fœneratitios judicamus. Ad quos tamen & hæc clausula extendenda erat, si tota contrahendi forma per Pium V. inducta, naturalis & divini juris esset.

Quibus profecò consequens est, ex sententia ejusdem Navarri sub numer. 108. ad constitutionem census sive reditus annui necessariò requiri rem immobilem vel quasi, eamque frugifera.

ram. Quæ enim juris naturalis & divini sunt, perpetua sunt, nullamque mutationem admittunt, §. pen. Inst. De iure naturæ gent. & civili & c. fin. De consuet. At verò suprà demonstratum est, annum censum sive redditum in sola venditoris persona posse constitui: imò ante omnia necesse est, ut obligatio ejus à persona venditoris incipiat. Quippe venditio & emptio naturâ suâ non aliam obligationem generant quàm personalem inter ipsos contrahentes, eorum que hæredes, l. ult. §. fin. D. De contrah. empt. Non video igitur, cur non possit consistere census absque re in persona venditoris, & consequenter rem, in qua fundetur, jure naturali vel divino non esse necessariam; ut & ceteras condiciones ejusdem constitutionis. Nisi quòd summam difficultatem nobis iniiciat dicta clausula ejusdem constitutionis: *Contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratios judicamus.* Quâ certè clausulâ, cum S. Pontifex apertè declararet contractum censualem in posterum aliâ formâ celebratum, censendum esse fœneratium, id est, vitiosum, peccato usuræ obnoxium, nemo justè negaverit his omnibus conditionibus præcise standum esse; cum hæc res animæ salutem concernat. Etenim leges SS. Pontificum circa ea, in quibus periculum animæ vertitur, indubitatum est, ab omnibus in utroque foro ubique gentium servari oportere, cap. fin. sup. De præscript. & cap. 2, De iurjurandolib. 6. Quod & communiter receptum testatur Nav. d. tract. num. 106, §. 2, cum num. seq. Hæc igitur clausula perplexos nos meritò tenet, ut quodammodò cogamur relictâ priorè sententiâ in Pii V. constitutionem descendere. Hac tamen adhibita moderatione, ut ei tantummodò locus sit in foro exteriori, non verò in interiori sive conscientiæ. Quod ex his verbis apertè conicitur: *Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus bonorum religiosorum censura subiciant & animarum salutem consulant.* Non igitur hæc constitutio Pii V. ad forum conscientiæ pertrahenda est; eo quòd contractus censuales antè initos non irritet, sed subiciat iudicio bonorum religiosorum. Quod certè non fecisset Pontifex Opt. nisi quoque existimasset, quoad conscientiæ forum contractum censualem posse licitè & inculpate absque affectu fœnerandi sine his conditionibus exerceri. Itaque in foro exteriori solummodò locus est constitutioni Pii V. non verò in foro interiori, in

quo soli veritati statuer, cessantibus præsumptionibus, c. Tuanos 26, sup. De sponsalib. Quibus cum innitatur Pii V. constitutio, rectè sequitur, eum non posse usurarium dici coram Deo, qui licet non adhibitis Pii V. conditionibus, tamen verè, non animo fœnerandi contraxit, can. Humana aures xxii. q. 1, Navar. suprà citato loco. Quod etiam probat Gregorius de Valentia, huius Academiæ Logolstadiensis quondam lumen & ornamantum, commentar. Theolog. tomo 3, disput. 5, q. 22, de censib. puncto 2, circa finem. Ex eo quoque inferens, iudicem contractum censualem aliter initum, quàm distat constitutio Pii V. teneri quidem, ne in foro suo eum admittat aut comprobet, interim tamen tutum esse emptorem census coram Deo, si intentione prævâ in contrahendo vacaverit. Idque non tantum, ubi hæc constitutio moribus recepta est, sed etiam ubi nondum in usum tradita fuit, ex ratione suprà allata, quòd scilicet versetur in re, quæ salutem animæ concernit, cuius cura præcipuè incumbit Summis Pontificibus, can. 1, & 2, dist. 12, Quod sanè durum videretur cum hinc sequeretur, omnes iudices graviter peccare, si aliter censuerint, eorumque sententiam nullam esse, utpote laram contra expressum jus, cap. 1, sup. De sent. & re iudic. l. Si expressim 19, D. De appellationibus & l. 2, Cod. Quando provoc. non est necesse.

Cæterum rem altiùs inspiciendo & excutendo, non existimo hanc Pii V. Constitutionem in foro exteriori obligare iudicem, ubi usu recepta non est; ob hanc rationem, quòd lex, licet promulgata, non antè obliget quam moribus subditorum recepta & comprobata est, can. Erit autem, cum duob. seqq. dist. 4, l. De quibus 32, D. De legib. §. fin. Inst. De except. & l. 1, in princ. C. Le constit. pecunia, dum tamen census in fraudem usurarum non constituitur, ut inter probos sive bonæ conscientiæ homines, in quos non solet facilè cadere fraudis suspicio. Unde, cum in his cessent usurariæ præsumptiones, per constitutionem Pii V. inducæ, argum. c. 3, c. 6, & c. penult. sup. De præsumptionib. alienum sanè videtur, eandem constitutionem indistinctè ad cujusvis loci iudicem & ad cujusvis generis homines velle producere. Nam Pium V. solummodò spectasse corruptos suæ ætatis mores, non solum elucet ex principio constitutionis suæ, verum etiam ex eo, quòd non contentus conditionibus in Extravagantibus Martini V. & Calixti III. comprehensis (quæ tamen tunc temporis sufficiebant ad excludendam omnem fraudem

fraudem usurarum) alias præterea conditiones adiecerit; ut ita omnem sui temporis fraudem, quæ propter corruptiores hominum mores magis increbuerat, anteverteret, non quidem inter bonos, sed apud improbos & avaritiæ deditos. Unde potius videtur mihi, dictam constitutionem Pii V. ubi recepta non est, nequaquam iudices obligare, si inter bonos de censu quaestio est. In quo discernendo versabitur prudentis iudicis arbitrium, argum. l. 3, D. De restitut. in integr. l. 3, D. Ex quibus causis majores & d. e. penult. De præsumpt.

Et certè, si rem in se spectemus, non satis perspicio, quid pertineant ad usurariam conjecturam hæc conditiones Pii V. quòd denuntiatio redimendi census bimestre tempus antè fieri, emptorque census præferri debeat emptori rei censui subjectæ, eum similibus. Unde cum hæc aliæque conditiones omni suspitione fraudis careant, impune non recipiuntur, aut si receptæ suat, per dissuetudinem rectè abolentur.

Ut hinc profectò colligatur, Pium V. sanctæ memoriæ Pontificem, omnes conditiones constitutionis suæ in creatione census non præcisè & necessariò requirere, ne usuraria dicatur, sed tantummodò eas respexisse, quæ in fraudem usurarum concipi possunt inter improbos & avaros homines. Quod non est in illis conditionibus, quæ nullâ ratione in suspitionem malam rapi possunt. Et hæc de constitutione Pii V.

Porro posterioribus legibus Imperii, videlicet sub Maximiliano I. in Comitibus Augustanis anno 1500 & sub Carolo V. imp. anno 1548. Item sub Rudolpho II. moderno Imp. anno 1577. sub tit. De usurariis contractibus, sancitum est, ut census sive redditus annui non nisi redimibiles ex parte venditoris, non emptoris constituantur, & quidem quincunces in singula centum, semotis omnibus pactioibus, quæ oneri esse possunt. Verba constitutionum paulò potè recitantur, à nobis Latine reddita. In quibus nec ulla hypothecæ vel pignoris mentio sit, eo quòd sine his consistere possit census sive redditus annuus, inspecta natura contractus: pignus verò sive hypotheca securitatis causa censui accedat. Ut & hinc venditor census sive ejus hæres prius jure conveniatur a cessione venditi, quàm tertius hypothecæ possessor a cessione hypothecaria, juxta *Auth. Hoc si debitor C. De pignorib.* Sed nescio, quomodò hodie contra accedat, ut, relicto venditore census vel ejus hærede, directè & immediatè conveniatur possessor hypothecæ & ab eo avocetur hypotheca, contra

*d. Auth. Hoc si debitor.* Sed credo mugis id fieri ex recepto usu Extravag. Martini V. & Galixtii III. tum & Pii V. quoad hanc hypothecam, ut videre est in constitutionibus supra recitatis.

Postremò occurrunt hic tres quaestiones: quarum prima est, An pacto redimendi adjecto præscribi possit ab emptore contra venditorem, vel ejus hæredem sive alium successorem? Si sequamur Pii V. Extravagantem de censibus, in §. postremò, res expedita est; si Doctorum sententias, planè implicata est, cum plerique asserant, alii contra sentiant, ut latè videre est apud Tiraq. de retractu convent. §. 1, Glossa 2, cum seqq. Ant. Gabrielium lib. 5, concl. 16, & Mynsing. cent. 1, obser. 6. Qui igitur asserunt, his argumentis potissimum ducuntur. Primum est, quòd hæc facultas redimendi censum venditori sive ejus hæredi competat ex personali obligatione, videlicet ex pacto emptioni & venditioni adjecto. At verò omni actio, omnique juri ordinariè ut minimum 30, vel 40, annis præscribitur, l. Sicut 3, cum l. seq. C. De præscript. 30, vel 40, annor. c. Ad auras 6, sup. De præscriptionib. Quòd sit, ut etiam id obtinere velint, licet adjectæ sint dictiones, *quandocunque, semper, perpetuo*; nec enim personalis obligatio ideo magis perpetuatur, cum certo tempore constricta sit, ex d. l. Sicut, & l. seq. Quòd & dissuadet infinitas, quæ vitanda est, hoc est, ne in infinitum emptor maneat obligatus ad revendendum sive restituendum, contra l. Si quis vina 4, §. ult. D. De perit. & commodo rei vend. Et l. Qui bona 13, §. fin. D. De damnio infecto, cap. fin. sup. De religiosis domib. cap. Religionum eod. tit. in 6, c. Cum causam §. volentes, cap. Significaverunt §. mandamus sup. De testib. Quæ ratione Baldus consil. 303, num. 3, p. 1, asserit non valere pactum, quo sine temporis præfinitione utque in infinitum emptor teneatur revendere rem venditori. Ubi & præterea addit, præscriptionem 30. annorum esse odiosam; & proinde ei renouari non posse, per ea, quæ tradit Bart. ad l. Rem potest 55, num. 19, cum seq. De legatis 1. Hinc etiam Angelus cons. 55, quem refert Tiraq. a loco num. 7, & Franc. Balbus in tract. de præscriptionib. in 4. parte, princ. q. 3, idem quoque procedere existimant, licet pactum revenditionis juramento venditoris confirmatum sit; cum juramentum recipiat conditionem & naturam actus, cui adicitur, l. fin. C. De non numer. pecunia.

Alterum argumentum desumitur ex l. Cum necessissimi 0, §. eodem jure C. d. tit. De præscript. 30, vel 40, annor. quo jus offerendi excluditur per tempus longum.

longissimum, id est, 30, vel 40, annorum; ergo & jus redimendi censum anuum, quod à jure offerendi incipit, l. 2, C. De pactu inter emp. & vend. junctâ l. Iulianus 14, §. offerri D. De actionib. emp.

Qui verò contrà censent his duobus argumentis præcipuè nituntur. Priore, quòd pactum collatum in liberam alterius voluntatem nullâ temporis præscriptione tollatur, per text. in l. Suus quoque 4, §. ult. D. De heredib. instituentis; ubi filius familias heres institutus sub occurrione potestativa, hoc est, quæ in sua potestate est, nullo tempore dicitur præteritus, eo quòd hanc conditionem possit semper, dum vivit, adimplere. Igitur & redimendi facultas collata in arbitrium venditoris nullo tempore excluditur. Ut hinc profectum sit, quòd vulgò jacari solet, ea, quæ sunt facultatis, esse impræscriptibilia, l. 2, D. De via publica. Cui tamen argumento ita occurrunt alii, quòd rectè quidem procedat in simplici sive mera facultate, quæ ex nulla actione descendit, puta, ire per forum publicum, per viam publicam: at secus esse in facultate, quæ jure actionis competit. Nam sicut tunc actioni præscribitur 30, vel 40, annis, uti antè probatum est, ita & facultati aliquid faciendi, quæ ex eadem competit, d. §. eodem jure.

Alterum est; quia emptor, qui promisit venditori redimendi facultatem, scit se ad hoc obligatum esse: quare præscribere non potest propter malam fidem, cap. ult. sup. De præscript. ubi disertis verbis Innocentius III. *Definitus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica quam civilis.* Cui & convenit juris regula: Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit, cap. Possessor De R. l. in 6.

Atque hanc posteriorem sententiam multis præjudiciis in Camera Imperiali comprobata esse testatur Mynsing. cent. 1, Obs. 16, E diverso verò And. Tiraq. d. loco num. 28, refert pro priorè sententia in Senatu Parisiensi fuisse decisum, anno Dom. 1515, quòd scilicet facultati redimendi etiam quando cumque 30, annis præscribatur. Sed animadvertendum est Tiraquellum loqui de pacto retrovenditionis prædii, cum prædium eâ lege venditum est, quòd possit venditor, refuso pretio, idem prædium recuperare, juxta l. 2, C. De pactu inter emp. & vend. Secus verò putat in reditibus annuis, & sic aliud in proposita questione; eo quòd hoc jus redimendi conjunctum sit cum jure excipiendi, cujus natura est, ut perpe-

tuo competat, l. Parè 5, §. fin. D. De doli mali & metus except. Quare si constituamus post 30, vel 40, annos emptorem censu agere ad solutionem pensionis, venditor verò eam deneget, sed offerat redemptionis pretium, ut ab obligatione census liberetur, videtur utique venditori quæ situm esse jus excipiendi, ne in posterum conveniatur. Ut enim natura exceptionis perpetua est, d. §. fin. ita & jus offerendi pretium & redimendi, quòd est sequela exceptionis, perpetuum esse debet, nulloque tempore præscribi. Ita Tiraq. d. Glossa 2, num. 31, Quæ tamen ratio mihi solida non videtur. Nam tamen si verum sit, exceptionem reo convento perpetuò competere, propterea quòd non sit in potestate rei, quando conveniatur, sed id pendeat ex arbitrio ipsius actoris, d. §. fin. non tamen video, quæ exceptio venditori competat, si jus offerendi præscriptione temporis sublatum sit. Itaque potior hæc ratio est, quòd venditor census solvendo singulis annis pensionem censatur solvere vigore præcedentis venditionis, quæ qualitatem hanc annexam habet, sicut & ex parte emptoris, cum pensionem recipit. Unde præscriptio locum habere non potest, cum singulis annis ea interrupta fuerit. Quemadmodum dicimus in debitore, qui agnoscendo debitum non præscribit contra creditorem, d. l. Cuius notissimi simo & illud & ibi Gloss. C. De præscript. 30, vel 40, annorum.

Quare proclivior sum in posteriorem sententiam, quòd scilicet pacto redemptionis præscribi non possit, tam in venditione prædii quam annui census sive reditus. Motus præcipuè obsecundum argumentum posterioris sententiæ, quæ in præscriptione requirit bonam fidem.

Unde non obstant argumenta prioris sententiæ, quæ de jure Civili procedunt, non verò Canonico, quo necessariò in omni præscriptione requiritur bona fides, d. cap. fin. De præscript. & d. cap. Possessor mala fidei, etiam quòd attinet ad forum Civile. Nam cum in ea agatur de peccato, utique jus Civile cedit juri Canonico: adeo quòd neque staturo, neque lege aliquâ contrarium induci aut statui possit, per text. in d. cap. fin. De præscript. Andr. Gail. lib. 2, Obs. 18, & Mynsing. cent. 4, Obs. 6, Quibus locis uterque testatur, nec in Camera Imperii admitti præscriptionem cum mala fide.

Et licet sint, qui distinguant inter actiones reales & personales, quòd scilicet illæ à mala fidei possessore præscribi non possint; hæc verò possint, ideo quòd in personalibus nulla detur possessio,

sio, ergò neque præscriptio. Præterea ex parte emptoris, qui ex pacto tenetur rem à se emptam recepto pretio restituere, non potest statui mala fides, cum per eum non stet, sed per venditorem, cur pretium redemptionis non offeratur, ipse interim paratus sit pretium recipere. Hanc tamen distinctionem actionum realium & personalium rejicit *d. cap. fin. sup. De præscript.* ubi generaliter deciditur, nullam valere præscriptionem absque bona fide. At verò actionum tam realium quam personalium datur præscriptio, *l. 3. §. l. 4. C. De præscript. 30, vel 40, annor. §. l. 1. C. De annali except.* Nec enim decisio *d. cap. fin.* rationem habet possessionis, sed malæ fidei, quæ in omnibus actionibus præscribendis abesse debet. Eo enim ipso, quòd emptor se obligatum scit, venditorem oblato pretio ad redimendum admittere debere, recensetur esse in mala fide, hoc est, se habere conscientiam alieni juris, quod ex pacto venditori competit; unde fit, quòd huic juri offerendi & redimendi præscribere non possit emptor.

Nec movet, quòd per venditorem stet, quòd minus pretium ipse offerat, ut sic rem ab emptore avocet, vel à censu se exoneret; quia ob hoc non definit emptor esse malæ fidei, cum nihilominus intelligat jus redimendi competere venditori. De quo latius Balbus in tract. de præscriptionib. in 2, parte 3, princ. q. 13.

Et quod dictum est antè de infinitate vitanda, nihil officit sententiæ nostræ; cum ea non ubique improberur, sed suis casibus, quorum naturæ repugnat infinitas, ut testatur textus in *cap. 2, De re scriptis lib. 6*, dum inquit, *Cum in multis juri articulis infinitas reproberur*, non autem in iis, quorum obligatio infinitatem non respuit; ut in præsentem emptione & venditione census, aliarumque rerum, quæ in infinitum ad hæredes utrimque transeunt. Sicut est in concessione feudi, quæ & in perpetuum ad hæredes transfunditur, *cap. unico §. beneficium, tit. In quibus causis feudum amitt.*

Altera quæstio est priori contraria, Utrum scilicet venditor census, aut ejus successor, se tueri possit præscriptione 30, vel 40, annorum, quibus censum non solvit, ne amplius eo nomine conveniatur? Quæ quæstio non minus controversa est & difficilis, propter diversas Doctorum sententias. Siquidem sunt, qui existimant, in tollenda præstatione annua, quæ per stipulationem sive alium contractum constituta est, sufficere præscriptionem 30, vel 40, annorum pro omnibus annis etiam subsequen- tibus, incipiendo scil. à

tempore, quo cessatū est in solvendo. Quorū sententia probari videtur per textum in *cap. De quarta 4. cum cap. leg. sup. De præscript.* quibus locis jus decimandi amittitur 40, annorum spatio. Item per text. in *l. fin. Cod. De præscript. longi temp.* ubi servitutes etiam discontinuæ, vel utriusque, actus, via & similes dicuntur per non usum tolli; ergò & præstatio annui census sive redditus, 30, saltem vel 40, annorum præscriptione abolebitur.

Sunt alii, qui diversum sentiunt, quòd videlicet in præstationibus annuis pro integro tempore non currat præscriptio, sed quot sunt anni, quibus solutum non est, totidem sint præscriptiones; eoque fieri, ut si 30, annis census solutus non fuerit, non omnibus annis sequentibus, nempe 29, 28, & deinceps præscriptum sit, sed tantummodo tricesimo anno, propterea quòd singularum præstationum annuarum separata & distincta sit præscriptio. Horum sententia aperte textu nititur in *l. Cum notissimi 6. §. in his etiam C. De præscript. 30, vel 40, annor.* ubi his verbis textus: *In his etiam promissionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per singulos annos vel menses, vel aliquod singulare tempus continent, temporum memoratarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusque anni vel mensis, vel alterius singularis temporis, computari, manifestum est.*

Sunt tertii, qui distinguunt inter præstationes annuas ex stipulatione vel alio contractu descendentes, & eas, quæ ex legato: ut in illis sufficiat una præscriptio pro omnibus annis; in his verò requirantur tot præscriptiones, quot sunt anni. Hanc rationem reddentes, quòd præstatio annua ex contractu una sit, atque idcirco unica præscriptione tollatur. At legatum annuum non unum est, sed plura; ac proinde in eo tot esse præscriptiones, quot sunt anni. Quippe annum legatum pro prima anno purum est, id est, statim debetur, pro sequentibus verò annis conditionale, hoc est, si vivat legatarius, *l. Si in singulos annos 4. §. l. Singulos 8, §. l. Cum in annos 11, D. De annuis & mensur. legat.* Atque hanc distinctionem communiter receptam esse à Dd. testatur Joan. Franc. Balbus in tract. de præscriptionib. in 4, parte 4, princ. quæst. 4, quam probate videtur textus in *l. Stichum aut Pamphilum 16, §. stipulatio D. De verb. obligat.* Cujus hæc verba sunt: *Stipulatio hujusmodi, in annos singulos, una est & incerta ac perpetua, non quemadmodum simile legatum morte legatarii finitur.* Cui convenit textus in *l. Senatus 35. §. fin. D. De donat. causa mortis.*

Iraque

Itaque ex his tribus sententiis puro secundam veriorum esse, cum textus in d. §. in his etiam, hanc distinctionem non admittat, sed discretis verbis præstationem annuam ex stipulatione seu alio contractu, & ex legato æquiparet inter se, quoad præscriptionem singulorum annorum. Unde etiam Martinus antiquus Interpres in Glossa d. §. in his etiam, indistinctè tenet, in stipulationibus & legatis tot requiri præscriptiones, quot sunt anni. Idem tenet Pet. Costalius in l. Si ususfructus aliorum 28, D. Quib. modis ususfr. vel usus amitt. Nic. Boërius decis. 336, Guido Papa qu. 406, præter eos, quos ibidem recenset, ubi & testatur pro hac opinione Martini se semper vidisse judicari in omnibus Curiis Gratianopolitanis. Eandem quoque restatur Mysing. aliquoties comprobata fuisse in Camera, cens. 3. obs. 13.

Nec movet pro prima opinione text. in d. cap. De quarta, cum cap. seq. Quia non est idem in decimis, quod in aliis præstationibus; cum præstatio decimarum non veniat ex contractu, vel ex ultima voluntate, de quibus loquitur d. §. in his etiam, sed ex dispositione juris, quo decimarum præstatio una constituitur pro omni tempore, tamquam ex generali quadam regula, atque idcirco una quoque præscriptio pro omni tempore statuitur: licet alioquin decimarum perceptio sit annua, sive alterius temporis, ex sententia Bald. in d. c. De quarta.

Et quod attinet ad d. l. fin. Cod. De præscriptionib. longi temporis, in ea quidem deciditur, servitutes instar rerum corporalium 10. vel 20. annorum spatio tolli; sed cum in iis nulla rei præstatio sit, sed dumtaxat, ut is, qui servitutem debet, patiatur alterum servitute uti, l. Quoties 15, §. servitutem D. De servitutib. non est quoddam argumentum hoc de servitutibus huc transferamus. Siquidem hic solum controversatur, utrum is, qui annum censum debet, præscriptione temporis 30, vel 40 vel plurium annorum, quibus censum non solvit, obligatione eximatur.

Nec movet text. in d. §. stipulatio pro tertia sententia allatus. Tamen enim stipulatio annua una sit, unaque ex ea actio nascatur pro omnibus annis, tamen, inspecto effectu, sunt plures anni, cum ante diem sequentium annorum agi non possit: proinde hac in parte, quoad præscriptionem æquiparantur stipulatio annua & legatum annuum. Quamvis ex alio capite impugari possit hæc præscriptio, propter malam fidem, quæ in

præscribente est, & in hærede ejus. Nam licet hic hæres bonæ fidei esset, hæc est, putaret se censum non debere, nihilominus propter malam fidem auctoris sui fingeretur quoque esse in eadem mala fide, propter repræsentationem defuncti, l. Cum hæres 11, D. De diversis & temporal. præscript. Et l. fin. D. De ususcap. pro hærede.

In singulari verò successore, qualis est emptor, donatarius, legatarius, & similes, ad quos res censu affecta pervenit, aliud juris esset, ut scilicet hi rectè præscribant, dum tamen bonæ fidei sint, licet alioquin auctor, à quo rem habent, fuerit in mala fide, quia in his nulla cadit repræsentatio auctoris, l. 1, Et l. 2, Cod. Si adversus creditorem, junctæ l. fin. C. De præscript. longi temp. De quo latius apud Frac. Balbum, in tract. de præscriptionib. in 4. parte 4. princip. quæst. 5.

Tertia quæstio est, Quâ moxera census annuus redimi debeat? In qua dissolvenda distinctio est adhibenda. Aut enim inter emptorem & venditorem convenit, quo genere monetæ redemptionem fieri oporteat: & hac specie certum est, huic conventioni standum esse, per text. in l. 1, §. si conveniat D. Depositi, Et in l. Contractus D. De R. I. Utroque dicitur, contractum accipere legem ex conventionione. Quare alia moneta, quam convenia est invito emptori census obrudi non potest, l. 2, §. 1, D. Si certum per. Idque quando interest creditoris non aliam monetam accipere, per text. singul. in l. Paulus 99, D. De solutionib. Paulus respondit, inquit textus, creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Unde a contrario sensu, qui à jure receptus est, l. 1, D. De officio ejus, Et cap. Cum Apostolica 7, sup. De his qua fiunt à Prelatis, inferitur, creditorem tunc cogendum esse, ubi sua nihil interest, ejusdem an diversæ formæ nummos accipiat, dummodò sint bonæ materiæ, & ad eandem æstimationem revocari possint. Bart. in d. l. Paulus. Alioquin videbitur creditor malitiosè agere, quod certè ipsi indulgendum non est, l. In fundo 39, vers. neque malitius D. De rei vindicat.

Quare, quod dictum est, creditori invito aliud pro alio solvi non posse, exaudiendum est, ubi creditoris interest, aliud pro alio non solvi: ex sententia ejusdem Bartoli in d. l. Paulus. Aut ubi nihil convenit inter emptorem & venditorem census de certa monetæ: quo casu satis erit in quavis moneta, usu loci frequentata, solutionem fieri, per text. in l. Nummus 73, D. De legatis 3, in l. 1. §.

fin. D. De auro argento leg. & in l. Si quis argentum 35, in princ. C. De donationib. Mynsing. cent. 4, Observ. 15.

Sed fingamus, monetæ, de qua conventum est, valorem interim mutatum esse, ita quod pluris vel minoris valeat solutionis tempore, quam tempore contractus. Hic duplex rursus inspectio incurrit, aut enim loquimur de monetæ valore extrinseco, aut intrinseco. Extrinsecum valorem voco, quando eadem manente bonitate materiæ pretium monetæ actum vel diminutum est, auctoritate Principis vel commercio hominum. Ut exempli gratia, videre est hodie in ducato Hungarico, qui paucis abhinc annis non valebat duos florenos, nunc verò valet imò transcendit valorem duorum florenorum in quibusdam locis. Sicur è diverso fieri potest, ut successu temporis rursus ejus æstimatio decreseat, vel diminuat.

In hoc igitur valore sufficit eandem monetam solvi, non attentâ mutatione æstimationis; vel si amplius ea non exister, vel in usu esse desit, æstimationem ejus, qui fuit tempore contractus, cap. Olim causa 20. & cap. penult. sup. De censib. Per. Costal. in l. Res in dotem data 42, D. De jure dotium. Quod & communiter receptum testatur And. Gail. lib. 2, Obs. 73, Ubi præterea addit idem obtinere & in ultimis voluntatibus; ut, si testator, inquit, censum coronatos legat, considerandus sit valor, qui fuit tempore conditi testamenti, non autem tempore mortis testatoris. per textum notabilem in l. Vxor em §. testamento D. De legatis 3, Bartol. ibidem in princ. Glossa singul. in l. penult. in V. cedit D. De instructo & instrum. leg. Quin & ex Jafone tradit, idem esse in statutis, pœnam certam pro delicto irrogantibus, ut in condemnatione ejus attendi debeat tempus conditi statuti. Vide omnino quæ habet Panormit. in cap. Quanto num. 12, cum seq. sup. De jurejur.

<sup>12</sup> Intrinsecus verò valor tunc mutatus dicitur, quando is factus est circa materiam vel pondus, & hac specie spectatur tempus contractus, non solutionis, ex ratione l. Cum quid 3, D. Si certum pet. Quod & communiter probant Doctores. Sicut ex Panorm. & aliis tradit Did. Covarr. de veterum solas numis. cap. 7, §. unico, nu. 1, licet ipse contrariam sententiam non improbet, quæ est Joan. Fabri in Auth. Hoc nisi C. De solutionib. & in tit. Inst. Quibus modis obligatio tollitur, existimantis solutionem debitæ pecuniæ recte fieri, si ea fiat ex pecunia tam quoad materiam quam quoad formam probata ex decreto publico, etiam si certa species

pecuniæ aut monetæ debeat. Quod certè ego crediderim, nisi magis interfit creditoris recipere monetam veterem, quæ fortasse ipsi commodior futura esset in usum suum. Nam non puto creditori hanc commoditatem auferendam esse, si prædium aut redditum annuum comparare, aut pignus suum alteri obligatum veteri pecuniâ reolvere cogatur, ex sententia d. l. Paulus.

Et hæc hætenus de censibus, si ve redditibus annuis perpetuis, hoc est, qui ad hæredes utrimque transeunt. Porò quid juris sit in censibus vel redditibus ad emptoris vitam constitutis, hic breviter perstringamus, quæ est tertia & ultima quaestio. Fingamus igitur Titium molestarum petæ sum cogitare de vita privatim instituenda; sed dum veretur, ne pecunia, quam habet, puta mille florenorum, alimentationis suæ non sit sufficiens, si fortè in multos annos vitam protraheret, adit civitatem vel monasterium aut alium, quem suis rationibus expedire existimat, & ab eo emit annum redditum centum florenorum quoad vixerit, numerato ipsi pretio eorumdem mille florenorum. Hic igitur quaestio est apud Doctores, an jure subsistat hujusmodi emptio & venditio? Mover difficultatem, quod emptor lucrum quærat ob spem diuturnioris vitæ. At usura non tantum committitur re ipsâ, sed & spe solâ animo conceptâ, cap. Consuluit 10. hoc tit. Unde sunt, qui hunc contractum improbant, ut Raymondus, Goffredus, & Henricus de Gandavo citati à Binsfeld. in cap. In circuitu quasi 13, hoc tit. de usuris. Verum contraria opinio verior & receptior est, tam apud Theologos quam apud Jurisprudentes, prout idem Binsfeldius testatur, jam d. loco concl. 2, Eandemque communem asserit And. Gail. lib. 2, Observ. 8, Nec enim negari potest, quin & in hoc contractu concurrant essentialia emptionis & venditionis videl. pretium certum, & jus annuæ præstationis, quod emitur & venditur, quæ duo præter consensus sufficient in emptionis contractu, l. Nec emptio 8, cum l. seq. D. De contrah. empt. & tit. Inst. De empt. & vendit. in princ. & §. 1, Neque usurarius ideo censeri debet, quod in eo gravior pœna constituitur; cum id permittat incertitudo damni & lucri, propter vitam hominis incertam, & multis casibus expositam: adeò ut nemo craftinum sibi polliceri audeat. Incertitudo verò contractum facit licitum, qui alioquin certus, esset illicitus, l. Si ea lege 17, & l. Oleo 23, & ibi notat Baldus & Salicet. C. De usur. & confirmat text. in d. c. In circuitu 6, in c. fin. hoc tit. ubi excusa-

excusatur mercator propter dubium eventum, si plures vendat merces suas ob solutionem in aliud tempus rejectam, de quo latius egimus supra cap. 3, Cui non dissimile est quod pulchre respondit Jafon in l. 1, *Lectura* 1, num. 63, *Cod. De summa Trinitate* dum contendit, licitum esse contractum, quo quis certam pecuniam quantitate emit magnos redditus fundi in tempus vite sue, vel numerat alicui monasterio quingentos ducatos, ut ab eo alatur, donec vixerit: idque (addit) ob incertitudinem vite ipsius. Et hanc esse communem conclusionem ostendit ex Cyno, Baldo, Ang. Sallio & aliis Jafon, *citato loco*.

Sed dubitationis est, qualis iniri ratio debeat iusti pretii in hoc contractu ad vitam concepto? Variè hac de re sentiant Dd. sicut videre est apud Covarr. *Variar. resolut. cap. 9, num. 7*, Verum hic rectè censet eam constitui oportere, ex communi Provincie estimatione, sive, ut utar verbis Andr. Gail. *d. Obs. 8, num. 5*, juxta consuetudines locorum, ubi hujusmodi contractus celebratur, per text. in *Si fundus 6, D. De evictionib.* Et hoc, ubi consuetudo loci certa est; alias ea statuenda est ex arbitrio boni viri, inspectis, scilicet ætate, valetudine e mentis, aliisque circumstantiis, & facit textus in l. *Cum ii 8, §. vult igitur vers. mo-*

*aus autem D. De transact.*

Et licet sint, qui putent estimationem hanc annui redditus redigendam esse ad præscriptum modum, in l. *Hæreditatum, alias incipit l. Computationi 68, D. Ad l. Falcid.* quo loco J. C. in detractio- ne legis Falcidie ex alimentis legatis vult habendam esse rationem ætatis legatarii; ut, si infra 20. annum constitutus sit, detractio fiat pro 30. annis; si supra 20. annum usque ad annum 10. pro annis 25, à 20. anno usque ad annum trigessimum quintum, pro annis 22. Et sic subsequenter, prout latius videre est in d. l. *Hæreditatum*. Ab hac tamen sententia discedunt Imola, Alexander, & alii, quos recenset idem Covarr. *d. c. 9, n. 8*, existimantes eam computationem J. C. tantum habere locum in ratione legis Falcidie, non in aliis questionibus. Quibus & subscribit ibidem Cov. sed cum hoc temperamento; ut nihilominus liberum cuique maneat controversiam aliquam tractanti, discernere ex negotii qualitate, an eadem ætatum dinumeratio observanda sit extra casum legis Falcidie. Sed hoc dictum Covarr. convenit cum eo, quod antè diximus; videlicet, estimationem, ubi ea in loco incerta est, ad arbitrium discreti iudicis redigendam esse,

SEQVUNTUR CONSTITVTIONES POSTERIORVM IMPP. MAXIMI-  
LIANI I. CAROLI V. MAXIMILIANI II. ET RVDOLPHI II.

De Usuris & annuis censibus seu redditibus, quorum supra sæpè mentio facta est,  
Latinè redditæ.

Maximilianus I. in Comitio Augustanis anni 1500. sub tit. *De usurariis contractibus.*

Quandoquidem & per usurarios aliosque periculosos, & inconvenientes contractus (quos hæcenus, ut accepimus, Christiani & Judæi exercent) pro vineis & earum incolis, damnum notabile inferatur: Statuimus, ordinamus & volumus, ut omnes & singuli Status Imperii (severè ipsis præcipiendo) hujusmodi contractus in suis Principatibus, terris, ditio- nibus & Jurisdictioni sue subjectis, ubique loco- rum, sub pœnis congruentibus interdican, & eorum transgressores ferid puniant. Tum etiam mandamus Ecclesiasticis & sæcularibus judi- cibus, ut si quando tales contractus coram profe-

runtur, eosdem invalidos & irritos pronuntient & declarent, nec executioni eos mandent, aut impleri faciant, vel jurent.

Quia verd redemptiones, (*subaudi, annuorum reddituum*) passim in omnibus provinciis frequen- tantur, & sub prætextu earum varia pericula & inconvenientia incurruntur: Mandamus nostri Imperii Regiminibus, in d damus ipsis plenam potestatem & auctoritatem, redemptionis hu- jus formam aliquam moderatam & modum concipiendi & consiciendi, & nostro nomine ubi libet in Imperio nostro publicandi, ut quilibet in posterum sciat, quâ formâ & modo in redimen-

Qqq 2

dimen-



dimendo uti debeat. Statuentes item, ordina-  
tes, & volentes, ut si ab hinc post publicationem  
factam, aliqua redemptio facta fuerit, quæ hujus

formæ defectum patiat, ea omninò infirma &  
irrita sit.

*Notatio.*

**H**Ac Maximiliani I. Constitutione usura  
omnes abrogantur, & è contrà emptio  
censuum sive reddituum annuorum admitti-  
tur cum pacto redimendi. Quæ autem formæ hæc  
redemptio fieri debeat, committitur arbitrio ju-  
dicum provincialium. Nec enim antè à Jure ulla  
de hac re forma prodita erat. Nam quæ in Ex-

travagantibus Martini V. & Calixti III supra re-  
citaris conditiones traduntur, ex loco formæ  
non sunt, sed ita ex facto propositæ fuerunt: do-  
nec longè post Pius V. certam formam annui cen-  
sus emendi & redimendi induxerit. De quibus  
antè scripsimus.

*Carolus V. Imperator, in Reformatione politica, Augusta anno Dom. 1550. sub eodem tit.*

**E**T si quidem nobis relatum est, hætenus in  
Romano Imperio diversos usurarios con-  
tractus celebrari, qui non solum inconve-  
nienter, sed & minus Christianè contra Deum, &  
jus usurpati sunt, & quotidie exercentur. *Vi his  
sequentibus casibus:* Nempe, quòd quidam sum-  
mam pecuniæ, veluti 800 florenorum mutuo  
dent; & tamen in literis emptionis plus quam  
mille florenos inferi curent, quòd ipsi ultra qui-  
cunq; in singula centum, census nomine pendan-  
tur, & in redimendo amplius quàm fuerit summa  
capitalis, consequantur.

Similiter & alii sunt, qui ob parvam temporis  
moram, quæ in solvendo cessatum est, interesse  
immoderatum exigant, & augendo in ipsam for-  
tem impudent, & convellant.

Item alii sunt, qui frumentum, equos, pannum  
& similes merces titulo venditionis æstimant  
plurimi, quantum fieri potest, ac proinde eo ip-  
so notabilem usuram contrahunt, ut cuiusvis no-  
tum est.

Item quidam sunt, qui pecuniam quidem mu-  
tuent, & recipiant in singulos centenos certi  
quid, sed præterea teneatur mutuarius certas  
operas suas, ad quas aliàs non tenebatur, ipsis ad-  
dicere, neque eas denegare aut revocare audeat vel  
poteat absq; præsentis solutione summæ capitalis.

Item quidam sunt, qui pro pecunia argentea  
mutuò data sibi in instrumento curent monetam  
auream inscribi.

Item, quòd aliqui sunt, qui quidem mutuent  
pecuniam, nullà è contrà constitutâ pecuniâ nu-  
merata, sed merce quadam in se magni valoris,  
sed viliori pretio æstimata, qua ereditor & sum-  
mæ capitalem suam & magnum commodum  
etiam duplo vel triplo majus consequatur.

Item aliqui sunt, qui pecuniam suam mutuent  
his conditionibus sive pactionibus iniquis, ut  
mutuarius ad quatuor nundinas sequentes, quæ  
ipsi præfixæ sunt, certum centum nominatum  
pendat, vel pecuniam exsolvat, quæ interdum  
transcendit viginti in singula centum.

*Quibus exemplis enumeratis subdit deinde Caro-  
lus V.*

Quia igitur hujusmodi & similes contractus,  
item quia usura in se impia est, jure communi  
scripto, & in ordinatione nostra & Imperii anno  
1500. graviter interdicta: Idcirco nos, adhibito  
consilio, scientia, & assensu, nostri & Sacri Imperii  
Electorum, Principum & Statuum, eandem  
ordinationem ex justa scientia renovamus, &  
confirmamus; statuentes, ordinautes & volen-  
tes, quòd hujusmodi usurarii contractus & con-  
ventiones, omninò & penitus post publicationem  
hujus factam, evitentur & per neminem cuius-  
cumque dignitatis aut status ineantur, aut in u-  
sum recipiantur: præcipiendo insuper iudicibus  
Ecclesiasticis & sæcularibus, ut si quando tales  
usurarii contractus coràm proponantur, decla-  
rent eos invalidos, infirmos & irritos esse: sicut  
& nos quoque hæc, invalidos & irritos declara-  
mus & pronuntiamus, neque executioni man-  
dandos esse. Præterea is, qui talem contractum  
usurarium exercuerit, quartam partem capitalis  
summæ amittet in pœnam Magistratui suo civili  
applicandam. Qui tamen Magistratus si sciens  
id neglexerit, superiore ejus, & hoc item negli-  
gente præfectus Fisci Magistratum in pœnam  
aliquam nominatim, veluti duarum, trium vel  
quatuor marcarum auri puri accusabit & recipiet.

Et

Et quia redemptiones censuum ubique terrarum communitè receptæ sunt, non debent in posterum pro centum capitalis summæ ultra quinque dari & accipi, uti moris est, Item Instru-

mentum redemptionis fieri debet, ut jus redimendi est. Quicquid ultra acceptum vel conventum fuerit, volumus id usuræ loco haberi & estimari, & ut supra dictum est, puniri.

## Notatio.

**C**arolus V. hac Constitutione sua etiam eas species conventionum abrogat, quæ in fraudem usurarum (quæ propriè de jure civili in mutuo, adeoque in pecunia numerata potissimum consistunt) creditores variè effingunt: non attendentes tam de jure divino quàm Canonico quamlibet accessionem rei estimatæ ad sortem principalem, usuræ nomine contineri, juxta illud Christi *Luce 6. Mutuum date, nihil inde sperantes, & causa xi v. quæst. 3. cap. Consuluit 10. Ext. De usuru, cum similibus supra cap. 1. à me citatis. Quod ipse Imperator his multis allatis exemplis docet*

& illustrat: Declarando & hujusmodi contractus esse nullos & irritos; adjectâ quoque pœna in usurarios, amissionis quartæ partis sortis, Magistratui inferendæ.

Alterum quod hac constitutione continetur, est de redemptione census annui, quæ & ipsa emptio census comprehenditur, quamve non vult excedere quincunces, id est, quinque annua procentum; quod non est in constitutione Maximiliani I. Eadem quoque pœna constituta in transgressorem, quæ antè in usurarium.

*Idem Carolus V. Imp. Augusta anno 1548. sub eodem tit.*

**H**ac constitutione eadem repetit, quæ superiore constitutione sua: nisi quod in penult. §. hujus constitutionis explicatius quædam addat, quod attinet ad redemptionem census sive redditus. Verba ejusdem §. hæc sunt.

Quia verò redemptio census ubique terrarum communitè recepta sit: ideo non nisi centum florenis, quinque floreni annui census, ut consuetum est, emi debent, & renuntiatio ejusdem cen-

sus per viam redemptionis ut redimendi jus est, penes venditorem non emptorem erit, non attempto, quacumque forma ea concepta sit in instrumento. Et si quid ultra datum, acceptum vel tractatum fuerit; Volumus id & alia omnia inconvenientia pacta, sive conventiones, tamquam usurarias & infirmas censeri, haberi, neque per Judicem de eis cognosci, vel pronuntiari, sed magis, ut antè dictum est, puniri oportere.

## Notatio.

**H**ic apertè refellitur eorum error, qui putant, in persona emptoris concipi posse ius redimendi, hoc est, ut emptor possit quandoque vel post certum tempus cogere venditorem ad redimendam censum sive redditum

annuū: cum redemptio non nisi in sola venditoris persona, id est, debitoris permittatur, adiectâ pœna. Similis conditio est in Extravag. Martini V. Calixti III. & Pii V. de quibus supra c. 10.

*Maximilianus II. in Comitibus Spirensibus, anno 1570.*

**I**n priorè constit. sua, paulò ante medium his verbis utitur: Quibus ex causis legitimis contractus fœneratitii (qui semper Imperio magna incommoda & pernitiè attulerunt) iure communi & quibusdam nostri Imperii Recessi-

bus interdicti sint, superfluum est repetere. Quocirca nos iudicio Camerali & Assessoribus præcipimus, in huiusmodi rebus, quod semel statutum est, in ulteriorem deliberationem ne trahant.

## Notatio.

**P**er ias commune intelligitur ius Canonicum, eo quod ubique illud in Scholis & iudiciis receptum sit. Similiter & ius civile,

quoad usuras supra modum præscriptum in l. *Eos 26. §. 1. Cod. De usur. cõventas.* Nam quæ intra modum d. §. 1. conceptæ sunt, non minus sublatae sunt,

utpote juri divino repugnantes, ut supra cap. 1. comprobavi, ac proinde rectius & in his recurritur ad jus Canonicum, propter generalem regulam Innocentii III. in Concilio generali Latera-

nenf. quâ omni constitutioni & consuetudini divi-  
vino juri contrariâ derogatur. Extat in cap. ult. ex  
De prescript.

Rudolphus II. Imp. Francofurti anno 1577. in politica ordinat. sub tit. eodem.


**E**Adem repetit & confirmat quæ supra staturit Carolus V. nihil ferè immutato vel addito, quod hic repetere necesse sit: nisi quoddam hic novus §. adjiciatur de obstagii; cujus verba hæc sunt: Tamen in sacri Imperii politica ordinatione Anno 1548. Augustæ publicata, singulariter provisum sit, quid fieri debeat, ubi obligatio census facta est, cum fidejussoribus in obstagium citandis sive movendis: Nihilominus, cum hæcenus hujus obstagii abusum prospexerimus, & tam fidejussores quam debitores eo ipso in extremam perniciem tendant, nihilo tamen magis consultis creditorum rationibus, quibus solvi non potest: Idcirco volumus omnino, ne obstagia in posterum obligationibus inferantur, & inserta tamquam jure publico interdicta per se irrita sint: & consequenter neminem fidejussorum nec debitorum ad obstagium teneri, neque hospiti ad quem forrè de facto observatum fuit obstagium, expensarum nomine obligari.

rimus, & tam fidejussores quam debitores eo ipso in extremam perniciem tendant, nihilo tamen magis consultis creditorum rationibus, quibus solvi non potest: Idcirco volumus omnino, ne obstagia in posterum obligationibus inferantur, & inserta tamquam jure publico interdicta per se irrita sint: & consequenter neminem fidejussorum nec debitorum ad obstagium teneri, neque hospiti ad quem forrè de facto observatum fuit obstagium, expensarum nomine obligari.

Notatio:

**V**T in obligationibus aliis, majoris securitatis causa accedere solet pignus sive hypotheca, l. Contrahitur 4. cum l. seq. D. De pignorib. vel fidejussores, unus vel plures, l. 1. D. De fidejussorib. & tit. Instit. in princ. & §. si plures eod. tit. ita & in hac obligatione census solvendi. De pignore vel hypotheca constat ex cap. 1. & cap. 2. inf. de Usuris ex Extravag. communib. Martini V. & Calixti III. & Pii V. supra recitatis, & ex l. 1. l. 2. & l. 6. Cod. De pignor. action. De fidejussoribus colligitur ex cap. Rescripto 9. sup. De jurejur. & ex cap. Exposita 11. sup. De arbitris, qui tamen sub obstagii fide obligati, hoc §. liberantur. Est autem obstagium, quando fidejussor promittit de perseverando vel sistendo se

certo in loco, donec debitor solutionem fecerit: Venit à verbo *Osids*, unde Itali obstagium derivarunt, Germani, *die Laystung* appellant. Unde & in *Laystung mahnen* id est, quod monere aliquem, ut in locum certum ex promisso veniat, ut hic. Quod etsi jure Canonum receptum est in d. cap. Ex rescripto, hac tamen constitutione Rudolphi II. Imp. improbatum & irritatum, tamquam juri publico adversans, ita quod ex eo nulla amplius nascatur obligatio, saltem quoad ditiones Imperii. Meminit & hic §. obstagii antè prohibiti sub Carolo V. Augustæ anno 1548. sed quæ prohibitio minus plena est, & idcirco hic repetendam non duximus.



IOAN. VVIRINGI, Campensis,  
J. U. D. ET CANONUM PROFES. R.  
IN ACADEMIA LOVANIENSIS  
IN LIBRUM V. DECRETALIVM  
EPIST. GREGORII XIII. P. M. COMMENTARIUS,  
Nunc primùm editus & auctarii vice huic Operi insertus,

PRÆ.

## PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Quandoquidem ad hunc librum V Decretal præter Commentarium ad Tit. de Usuris à D. Canisio separatim editum, aliud ex Prælectionibus ejusdem ad manus nostras non pervenit; & sufficere aliàs poterant ad elu. idationem ejusdem libri, quæ idem D. Canisius in Summa sua Juris Canonici lib. 3 tit. 13. & seqq. de delictis & poenis ex eodem Jure proposuit: quia tamen plerosque Titulos intactos reliquit, ne quid in hac Operum. D. Canisii editione desideraretur visum fuit opera pretium auctarii vice hic inferere Commentarium brevem ad eundem librum, publicè Lovanii prædictum à CL. V. IOANNE VVIRINGO I. V. D. & Decretorum Profess. Regio; indicatus passim locis quibus qualibet materia in dicta Summa pertractatur. Fuit autem noster hic Vviringus, ut & id obiter insinuem, origine & nativitate Campensis, apud Trans. Isalanos in Belgio, qui studiorum suorum curriculo cum alibi tum Lovanii abjuncto, supremam ibidem in Jure Lauream anno C13. 15. XCV. prid. Eid. Sept. accepit, tum Decretorum Profess. Regius nominatus, quo in munere annos XII. exegit, mortuus anno Domini C15. 15C. VII. V. Kalend. Julii.

IOAN. VVIRINGI, Campensis.  
IN LIBRUM V. DECRETALIVM,  
EPIST. GREGORII XIII. COMMENTARIUS.



Postquam Pontifex libro primo Decretalium de Ministris ac Magistratu Ecclesiastico egisset, eorumque gradus, ordinationes & officia exposuisset; libro autem secundo de Judiciis, eorumque processu & ordine; deinde libris sequentibus materiam civilium judiciorum: & tertio quidem tractasset proventus præbendas, aliasque res, quas gratia ministerii Clerus percipit, quarto autem conjugia laicorum, de quibus etiam Judex Ecclesiasticus cognoscit:

putavit restare, ut hoc libro quinto judicium criminale, ejusque materiam tractaret. Id quod facit illo ordine, ut duobus primis Titulis explicet modum instituendi criminalia judicia, seu actiones criminales; tum verò Titulo tertio usque ad Tit. xxxvii. crimina vel omnibus communia, vel Clericis & eorum Prælati peculiaria, proponat; ac denique quæ sit forma & modus, quibus Judex Ecclesiasticus hujusmodi crimina puniat, sub finem subjungat: addens insuper duos Titulos, quorum decisiones per universam jus sese insinuant, nempe de Verborum significatione ac Regulis juris.

IN TIT. PRIMUM. DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS  
ET DENUNTIATIONIBUS.

Vide D. Canis. in Summa Juris lib. IV. Tit. XIX.

## S U M M A R I A.

- |  |  |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. Criminale judicium instituitur Accusatione, Denuntiatione, Inquisitione.</li> <li>2. Accusatio quid?</li> <li>3. Absolutus in foro interiori potest apud Iudicem seculari iterum deferri.</li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>4. Accusator legitimus quis?</li> <li>5. Accusatorem ab irregularitate liberat prævia protestatio.</li> <li>6. Debet per se causam prosecui.</li> <li>7. Vi &amp; reus per seipsum, non per procuratorem, defensionem suscipere.</li> </ol> |
|--|--|

8. *Accusatio hac publicam vindictam respicit.*
9. *Judicis officium in hoc judicio.*
10. *Accusatio sive delatio qualiter facienda.*
11. *Denunciatio quid, ejuque finis.*
11. *Inquisitio quid, & quando ei locus sit.*
13. *Quid intersit, crimen detegatur per accusationem, an per inquisitionem.*
14. *Detegitur & crimen per exceptionem.*

**Q**uod tribus modis actio criminalis in judicium deducatur, nimirum *Accusatione, Denunciatione, & Inquisitione*, inscriptio Rubr. seu Tituli satis indicat. Quemadmodum eam civile judicium non procedit, nisi quispiam sit *Actor*; sic nec criminale, nisi aliquis sit *Accusator*, in cuius locum subinde admittitur *Denunciator*, vel, si uterque deficiat, præcurrente famâ *Inquisitor*: & proinde quod in civili judicio vocatur *Actio*, id in criminali vocatur *Inquisitio*. Sed ut de singulis ordine, ac præmissa brevi distinctione, aliquid dicamus, \* *Accusatio* describi potest, ut sit *actus licitus, quo legitimus accusator criminis seu malefactorum ob vindictam publicam ad Iudicem defert.*

*Actus licitus.* R. C. t. sic: nam actus iste virtutis est & iustitiae, qui dicitur de bonum Reip. ut à noxa liberetur, & boni in quiete vivant, respicit. \* Et proinde adeo licitus est, ut etiam si passus injuriam odium (prout debet) & rancorem in animo sive animæ judicio remiserit, nihilominus possit reum criminis, à quo læsus est, etiam illum, qui post præviam contritionem poenitentiae ducitur, apud Judicem exteriorem deferre, ut puniatur: id quod latè explicant scriptores nostri in *c. Accusasti 8 hoc tit.* & post illos eleganter *Did. Covarr. lib. 2. Variar. Resolut. c. 10 num. 6.*

**4** *Quo legitimus accusator.* Nam, ut ait *Felix Pont. in c. 1. hoc tit.* Si legitimus non fuerit accusator, fatigari non debet accusatus. Legitimus autem ille est, qui trabem in oculo non habet, seu cui, ut accuset, iustam ob causam non est interdictum. Quid enim, si extra judicium publicum ille velit accusare, cujus non interest? *c. Illa hoc tit.* Quid si intersit quidem, sed vel semel ab accusando destitit, *l. Qui accusationem C. De his qui accusare non poss. vel is, quem accusavit semel, jam sit absolutus?* Ait enim *Jurisc.* quod de ejusdem hominis admisso iteratò querela fieri non debeat, in *l. Licet D. Nauta cap. subul. & Pontifex in c. De his 6. hoc tit.* quod de criminibus, à quibus quis absolutus est, accusatio non debeat replicari; præsertim si præcedens accusator non fuerit prævaricatus, sed

rectè functus munere, nec posterior aut suam aut suorum injuriam & dolorem velit prosequi, *l. Si cui §. iidem D. De accusat.* idque post *Glof. in d. c. 6. ad V. replicari* latè explicat, *Covarr. d. c. 10. Variar. Resolut.* Sed & alia personæ sunt, quæ, ut ait *Marcellus in l. Qui accusare D. eod. tit.* vel ob sexum & ætatem, vel ob delictum & conditionem, vel ob turpem quæstum & similem causam, ab officio accusandi repelluntur: ut & inimici, cum suis domesticis, qui magis odio adversarii, quam amore boni communis, seu, ut textus loquitur in *c. Cum oportet 19. hoc tit.* typo malitiæ potius quam justitiæ zelo præsumuntur duci, repelluntur, *c. Meminimus 13. hoc tit.* Sic & laicus, dum Clericum vult accusare, non auditur, *c. Cum P. Mancouella 10 hoc tit.* Nisi tale sit delictum, seu tam enorme, ut ipsius prosecutio etiam laicis nominatim sit permessa, velut crimen *Simonie, Hæresis* aut læsæ *Majestatis, cap. Tanta est labes 7. inf. De Simonia.* Cæterum si non obstat legis prohibitio, cæteris paribus quilibet ad accusandam admittitur, etiam inferior contra Prælatum, veluti *Religiosus* contra *Abbatem*; cui textus in *c. Ex parte tua 11. hoc eod. tit.* è proventibus Monasterii vult sumptum subministrari, ut causam accusationis prosequatur. Sed hæc quoniam sparsim in *Jure nostro* scripta sunt, potius lectione quam declamatione assequimur.

*Accusator.* Qui si periculum irregularitatis velit evadere, præsertim si sit Clericus, protestationem debet præmittere, quod ad sanguinis effusionem accusando non contendat, *c. Prælati De homicid. lib. 6.* Alioquin si illa omissa *Judex* accusatum afficiat supplicio, accusator unâ cum *Judice* efficitur irregularis, id est inidoneus, ut ad laeros *Ordines* promoveatur, aut jam promotus ministerio fungatur: quam juris decisionem ex professo tractat *Did. Coy. in Clem. Si furiojus De homicid. p. 2 §. 5.*

Debet etiam qui vult accusare, per se, non per procuratorem causam prosequi, *l. Accusatore defuncto penult. D. De publ. jud. c. Veniens 15. hoc tit.* ubi sic loquitur, *nec procuratores ejus in causa possimus recipere criminali.* Idque honestâ ratione introductum est, ad advertendum cæsumas, & ut accusator sciat poenam sibi esse positam, si malâ fide procedat.

*Reum criminis.* Qui similiter uti per se ipsum, & non per procuratorem debet sumere defensionem, præsertim in dictis criminibus majoribus, *d. c. Veniens & d. l. Accusatore, in verb. ad crimen iudicii publici persequendum, frustra procurator intervenit, multa*

*idone magis ad defendendum*, ubi Glossa ad *V. magis* rationem decisionis reddit: ita, durante causâ accusationis, ad dignitatem seu officium Ecclesiasticum promoveri non potest, *c. Omnipotens 4. h. 1.* & si Prælatus tamquam bonorum dilapidator sit declaratus, potestate administrationis tantisper carebit, *c. ult. hoc tit.* Quinimò et si crimen non sit probatum, de quo est infamatus, mandato Judicis subinde cogitur accusatus canonicè seipsum purgare, *d. c. Cum oporteat hoc tit.*

8 *Ob vindictam publicam.* Crimine enim commissio jus puniendi quæ situm est Reipublicæ, & cui libet è Reipubl. jus accusandi: qui ob id non privato affectu duci debet, *d. c. Accusasti & ibi Gloss. ad V. nisi pro pace*, sed vindictam publicam respicere, ut amorâ nequitia pacificè vivatur, id est, non ad hoc contendere debet, ut sibi aliquid commodi aut voluptatis accedat, sed ut bene sit Reip. Et proinde, verbigratiâ, si quis contra furem contendat, ut quadruplum rei sibi ablatæ consequatur, actor erit, & iudicium civile: si verò ad hoc contendat, ut fur aliquâ pœnâ, sive corporali sive spiritali, sive etiam pecuniaria sive applicandâ efficiatur, accusator erit, & iudicium criminale.

9 *Ad iudicem.* Cujus partes erunt, reum absolvere, aut condemnare; sed servato prius ordine iudiciario. Nisi tamen crimen fuerit evidens & notorium, id est, tale, ut palam & per se sit notum: quo casu Judex, etiam tacente accusatore, officium suum sine strepitu potest exequi. Nam, ut ait textus in *c. 9. hoc tit.* evidentiâ patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.

10 *Desert.* Hæc delatio solemniter fieri debet. Præter cæteras verò solemnitates opus est oblatione libelli, & nominis inscriptione: nam ut pauciores existant calumniatores, qui falsa crimina malignè obiciunt, valde utiliter cautum est in *l. Sicuti crimen 7. D. & in c. Super his 16. hoc tit.* ut accusator sese obstringat ad similitudinem supplicii, seu ad eandem pœnam, si deficiat in probatione, quam accusatus & convictus debuisse sustinere. Hanc enim obligationem jus nostrum vocat inscriptionem, secum trahentem pœnam (ut vocant) rationis; cujus originem, & an hodie sit in usu, cum homines deterreat ab officio accusationis, explicat Cov. *lib. 2. Var. res. c. 9.* Hæc de primo.

11 Secundus modus persequendi crimina vocatur *Denuntiatio*, accusationi non ab similibus; sed tamen effectu & sine ab illa distans, eo quòd non tam vindictam publicam respiciat, quam *vix emen-*

dationem. Et ideo denunciator, sicuti sese non debet inscribere, *d. c. Super his hoc tit.* ita, ut ostendat se quærere salutem proximi, fraternam correptionem debet præmittere; & primò seorsim, deinde coram testibus rogare, ut à maleficio desistat, priusquam illud Ecclesiæ seu Ecclesiastico Judici denuntiet, *c. Si quis 2. hoc tit.* Quam totam procedendi rationem eleganter admodum explicat Pet. à Navarra *lib. 2. De ablato. restitut. c. 4.*

Tertius denique modus est *Inquisitio*, quando Judex non ad petitionem accusatoris vel denuntiantis, sed ex officio in crimen alicujus, quod sine scandalo tolerari non potest, ne maneat impunitum, sedulo inquirat. Qua in re tamen, ne temerè lædat famam proximi, aut pro libitu sæviat in innocentem, sacris Canonibus constitutum est, inquisitioni non esse locum, nisi infamia delicti vel personæ præcedat, *d. c. Cum oporteat, c. Inquisitionis 2. §. 3. cap. Qualiter & quando 24. hoc tit.* quibus locis disertè asseritur, quòd, etiam si fortè libellus famosus contra quempiam sit datus, Judex tamen non debeat inquisitionem facere, nisi fama seu clamorosa insinuatio præcesserit, non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis originem trahens. Et hoc est, quòd ait Pontifex, Famam in inquisitione subire vices accusatoris, *d. c. Qualiter vers non tamquam si idem sit accusator & Index.*

Refert autem plurimùm, utro dictorum modorum crimen sit detectum: nam si per viam accusationis, & juris definitio certam pœnam expressit, non potest justus Judex (si modò non sit Princeps, qui crimina potest remittere) illam non inspicere. Si verò per viam inquisitionis, tunc poterit pro arbitrato suo, juxta qualitatem personæ & delicti, nunc graviores nunc mitiores inferre, si modò non sit crimen, quòd sacri Ordinis executionem impediatur, *d. c. Inquisitionis, c. De causis 4. sup. De off. & potest. judicis deleg.*

Postremò & illud notandum est, quòd sicuti præter dictos modos crimen subinde per evidentiâ, seu, ut loquuntur, per flagrantiam, ita interdum etiam derogatur per exceptionem: quo casu saltem ad pœnam Judicis arbitrariam, & probatio deficiat, excipiens erit obligatus, *d. c. Super his & ibi Gl. hoc tit.*

## IN TIT. II. DE CALUMNIATORIBVS.

## SUMMARI A.

1. Calumniator falsò quem accusans qualiter puniendus.

2. Et quid si dubitetur, dolo an errore id fecerit?

3. Quia si prauaricetur, aut tergiversetur?

**Q**ui proximam accusando calumniatur, id est, qui per dolum falsa crimina objicit, graviter peccat, quia famam ejus cuius pretio anteponendam apud homines ut plurimum credulos lædit. Proinde sacri Canones calumniam vehementer puniunt; & quidem ordinariè similitudine supplicii seu pœnæ talionis, sed in ejus locum jam ferè arbitraria Judicis successit; cujus fortè pœnæ si calumniator non sit capax, alia & æquè gravis infligitur. Et proinde in *cap. hoc tit* Subdiaconus ille, qui falsò accusaverat Diaconum, cum debuisset eam pœnam luere, id est, honore & ordine privari, si Diaconus fuisset, privatur in primis officio Subdiaconatus, ac deinde verberibus exceptus mittitur in exilium.

2. Et hæc quidem ita se habent, si jam verè constet, quòd dolo malo quempiam accusaverit. Sed si dubium sit, num dolo, an errore id fecerit, certè non statim accusator, qui crimen non probat, pro calumniatore est habendus: quid enim, si rumore aut testium assertionem id fecerit? quid si necessitate officii Fiscus vel Promotor quempiam

detulerit? Officium itaque Judicis erit, diligenter veritatem inquirere, num accusator calumniatus sit, nec ne, *l. 1. §. calumniatorem D. Ad Senatusc. Turpil.* Quòd si negotium id requirat, accusatori injunget canonicam purgationem: in qua si deficiat, id est, si requisitus probare non poterit animum calumniandi sibi defuisse, pœnam pro qualitate infliget. Et quidem si Clericus sit, præsertim qui Prælatum suum accusavit, tantisper beneficium illi privabit, & ab officio suspendet, donec se ipsum purgaverit, *c. 2. hoc tit.*

Nec solum si accusator calumniatur, sed etiam, si prauaricatorem agat, id est, si nunc ad hanc nunc ad illam partem mediâ collusione sese inflectat, aut etiam si tergiversetur, id est, si velut terga vertens Judicium criminale deserere velit, puniendus est, eò quòd inter sit Reipubl. ut illud ex fide ad exitum deducatur, *can. Si quem §. notandum 11. quasi 3.* Aliud sanè erit, si non solemniter accusatio facta sit, sed tantummodò eorum Judicis alicujus crimina quispiam sive verbo sive scripto proposuit; is enim ab accusatione potest desistere. Sed quoniam per hujusmodi minas ac propositionem periclitatur etiam fama proximi subinde in tantum, ut locus detur inquisitioni, non omnino impune illud feret, sed perpetuum ipsi imponetur silentium, *text. est elegans in c. Licet in beato 14. sup. tit. prox.*

## IN TIT. III. DE SIMONIA, ET NE QUID PRO SPIRITUALIBVS EXIGATUR VEL PROMITTATUR.

Canif. in Summa lib. III. tit. XIV.

## SUMMARI A.

1. Ratio ordinis & Simonia gravitas.

2. Simonia quid.

3. Alia est juri divini, alia positiui.

4. Alia interior, quadam exterior.

5. Simonia conventionalis.

6. Simonia confidentia.

7. Simonia realis, præter peccati, obligat ad restitutionem.

8. Simonia cur desinat per voluntatem.

9. Eamque pravam.

10. Scelus iam.

11. Verbo emendi & vendendi quid his venias.

12. Quid nomine rei spiritualis.

13. Qualiter licitè quid recipiatur pro Missarum celebratione, sepultura, &c.

14. Qua dicantur annexa spiritualibus.

15. Cur in his locum habeat Simonia.

16. Ad accusationem hujus criminis qui admittantur.

17. Pœna Simoniacorum.

**A**ltera parte hujus libri materiam criminalis iudicii, id est, ipsa crimina pertractat, eo ordine, ut tam Clero quàm Laicis communia præmittat. Quæ cum & ipsa in duplici sint genere, primum de illis agit, quæ contra proximum. Tale autem est vitium Simonia tam sordidum & enorme, ut asserente id Pont. in *c. Per suas 23. h. t.* ad ipsius comparationem cætera quæ pro nibilo reputentur: ita ut mirum non sit, si huic vitio principem locum attribuat, quod eo ipso,

ipso; quo vel Deo, vel Ecclesie, vel religioni contumeliam infert, adeo saltem sit incurabile, ut semper post se cicatricem relinquere debeat. Sed quoniam per omnes juris partes admodum late se diffundit, brevem ipsius descriptionem ponemus, ut circa illam præcipuos articulos explicemus.

<sup>2</sup> Est itaque Simonia prava ac studiosa voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem, vel ipsi annexam.

<sup>3</sup> Porro ad definitum quod attinet, ut cæteras ejus divisiones omittamus, veluti quod aliam Simoniam dicant esse juris divini, quæ divinæ constitutioni repugnat, & potissimum in rebus merè spiritualibus versatur, veluti dum Simon Magus, qui huic vitio nomen dedit, gratiam Spiritus Sancti oblato pretio affectabat; aliam verò juris positivi, quæ in rebus mixtis ac rei spirituali annexis locum habet, c. *Consulere* 38. h. t. ubi condemnatur hoc crimine, qui quancumque administrationem rerum Ecclesiasticarum emit aut vendit, in quibus tamen plus, ut apparet, rei temporalis quam spiritualis versatur, & quam non minus laicus quam Ecclesiasticus, si rei naturam respicias, subire posset: \* præcipua divisio est, quod quædam Simonia sit interior, quæ & mentalis vocatur, quædam exterior, quæ subdividitur in conventionalem & realem.

<sup>5</sup> Mentalem illam vocant, quæ ita in animo delitescit, ut actu exteriori se non prodatur: veluti si collator beneficium conferat eâ spe & animo, ut munus accipiat; aut etiam si actum conjunctum habeat, ille tamen per se laudabilis sit aut certè adia phorus & indifferens. Cujus rei præclarum habemus exemplum in c. *Tua nos* 34. h. t. ubi consultus Pontifex, cum laudasset factum illius, qui bona sua dederat Ecclesie, ac deinde loco præbendæ eadem retinens sine ullo pacto aut prævia conditione admissus fuerat in Canonicum, hæc verba subjungit: *Quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare, si tamen is, qui talem donationem facit, ad intentionem ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam illo quàm isti apud districtum iudicem (qui servator est covadium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur, id est, in foro animæ sunt simoniaci, quos nos hic vocamus mentales. Qui scè an teneantur ad restitutionem acceptorum, sicuti tenetur mentalis usurarius, de quo agit Pont. in cap. *Consuluit inf. De usuris*, late dispucat contra alios Mart. Navarr. in *Enchi-**

*ratio* c. 23. nu. 101. pro parte negante accipiens cap. ult. h. t. ubi non restituitur, quod sine prævio quidem pacto, sed tamen præcedente affectu datum erat pro ingressu Religionis.

Simonia conventionalis est, quando sit pactum seu conventio, ut alter de temporale, alter spirituale præstet; idque vel tacite, nimirum signis & nutibus, vel expressè, id est, verbo seu scripto, cum taciti & expressi eadem sit virtus: veluti in c. *Cum essent* 12. h. t. ubi cum miles Ecclesiam promississet, in qua jus præsentandi habebat, alteri eâ lege, ut laborem & industriam, quæ pretio sunt æstimabilia, in expediendis negotiis præstaret, talem contractum Pontifex declaravit simoniacum: item in c. *Cum pridem* 4. sup. De pact. ubi Religiosi subortâ lite pro beneficio certum nummum promiserant cuidam Petro, ut liti mortæ renuntiaret.

<sup>7</sup> Ad hæc speciem, quæ peior est priori, reducitur Simonia ut vocant, confidentiæ, ut dum quispiam alteri resignat beneficium eâ conditione, ut consanguineo vel nepoti, ubi maturæ ætatis vel idoneus fuerit, partem proventuum præstet.

<sup>8</sup> Cæterum hæc simonia tantisper manet conventionalis, quamdiu illicitæ promissiones utrimque non implentur; quod ubi factum est, sive pro toto sive pro parte, mutato nomine & formâ efficitur Simonia realis, quæ præterquam quod animam mortaliter lædat, ut mentalis, d. c. *Tua nos*, & exterius puniatur, uti conventionalis, d. c. *Cum essent*, ubi super promissa Ecclesia silentium imponitur, obstringit etiam mercatores suos ad restitutionem, text. est in c. *De hoc autem* 11. in fine h. t. Et proinde si quæ fiat beneficii collatio per simoniam realem, si qua præsentatio, electio, vel confirmatio, ipso iure est nulla, & per consequens ramille, qui contulit, præsentavit, elegit, vel confirmavit, quod acceptum est tenetur restituere, d. c. 11. ubi Regibus etiam & Principibus hæc necessitas imponitur: teneturque qui beneficium seu dignitatem quocumque tandem tituli colore adeptus est, fructus omnes, quos percepit, redde- re, utpote quos suos non fecit, nec facere potuit, iuxta decisionem in *Extravag. communib. c. Cum de- restabile*. Hæc obiter de definito ac eius latitudine: restat nunc, ut definitionem per partes explicemus.

<sup>9</sup> *Voluntas*. Non quod vitium illud propriè sit voluntas, seu naturalis potentia, sed quod à voluntate dependeat, tamquam effectus à sua causa, iuxta illud Jurisc. Animus & propositum delicta distinguunt. Glossator itaque in summa sive in



exordio causæ. qu. 1. dum hanc descriptionem tradit, a scriptoribus nostris postmodum receptam, veluti continens posuit pro contento, & causam pro effectu; ut sensus sit, Simonia est delictum voluntatis.

10 *Prava.* Quam depravatam reddat voluntatem hoc vitium, vel ex eo satis patet, quod, uti passim in hoc Tit. videre est, sacri Canones tam diris nomenclaturis utantur, ut Simoniam nunc *pestem* & *leprosum* vocent, nunc *rabiem* & *scelus detestabile*, nunc *labem* & *morbum pestiferum*, nunc *pravitatem* & *excessum execrabilem*; per hoc significantes, quantâ injuriâ afficiat Deum, & ejusdem religionem, qui rem spiritualement in finitâ modis præstantiorem caduco prærio comparat.

11 *Studiosa.* Id est, deliberata, quod Simonia sit vitium, & quidem, uti jam patuit, tam detestabile. Jam verò levis dispositio seu cogitatio, cui animus non affigitur, non reddit hominem simoniacum ac mortis obnoxium.

12 *Emendâ & vendendâ* Emptionis & venditionis verbo idem contractus designatur, qui ex parte accipientis vocatur emptio, ex parte rem tradentis venditio, per quem propriè hoc agitur, ut rei tradendæ dominium in accipientem transferatur, dato vicissim pretio. Sed hoc loco pro subjecta materia paulò latius ista sumuntur, ut non solum emere & vendere ille dicatur, qui pro re pecuniâ numerat, sed etiam qui dat vel accipit aliam quancumque rem pecuniâ seu pretio æstimabilem. Hinc ille, qui præstat homagium seu juramentum fidelitatis, vel etiam qui principaliter obsequitur & inservit alicui, ut ab eo beneficium consequatur, huic vitio erit obnoxius, *d. cap. Cum essent* & *cap. Ex diligenti* 7 hoc sit. Si quis, inquam, principaliter; nam si non principali, sed causa tantummodò, ut vocant, impulsiva seu secundaria (id est, sine qua quidem actus non fieret, sed tamen aliam sibi adjunctam habet, ob quam potissimum perficitur) inductus, id faciat, veluti si præcipuè inserviat, ut victum lucretur, etiam si secundariò speret beneficium, non erit obnoxius, *Gloss. in d. cap. Cum essent* & *in cap. Cum ad nostram* 37. *sup. De elect.* Sic & *Gloss. in simili ad cap. 1. De Clericis non resid. lib. 6.* ait, peccare quidem illos, qui mane surgunt, & cantant preces pro distributionibus quotidianis; non autem illos, qui surgunt principaliter, ut Deo serviant, etiam si secundariò intendant lucrari distributiones. Sed & Pontifex in *can. Si officia* 59. *dist. can. Quid proderit* 61. *dist. & in can. Conjunxit* 74. *dist. definit, licitum esse Ecclē-*

stasticis primariò servire Deo, & secundariò spem concipere, ut per hoc promoveantur ad dignitatem Ecclesiæ. Sic nec ille peccat, qui pecuniâ dat Sacerdoti, ut vel preces dicat, vel rem divinam faciat, si det primariò ob ipsius sustentationem, etiam si secundariò spirituale adjuvamentum exspectet. Pari ratione possessorem beneficii excusant, qui, suborralite, pro redimenda, ut loquuntur, vexa dat rem temporalem, *text. est in cap. Dilatus* 28 hoc sit. & ibi *elegans Gloss. ad V. restituere.* eo quod hujusmodi datio non referatur, saltem referri non debeat, ad acquisitionem pacificæ possessionis, quamvis illa causa sit, ut vocant, sine qua non; sed ad hoc, ut vel amicitiam vexantis acquirat, vel scandalū cesset, vel similis causa proxima & immediata habeatur. Quinimò quamvis nec pecuniâ det vel accipiat, nec rem pecuniâ æstimabilem; si tamen præstet aliquod principium, sive causam aliquam principalem, qua mediantē res spirituales contra juris prohibitionem, seu jure id non permittente, acquiritur, simoniacus erit, saltem juris positivi: veluti si affectu ut loquuntur, carnalitatē beneficium quis resignet in favorem consanguinei, idque vel seorsum, vel via permutationis, in consulto superiore, sine cuius licentia vix tractare licet, tantum abest, ut pertractare, *cap. Quasitum sup. De rerum permutat.* Quamvis enim nec pretium, nec quicquam pretio æstimabile hic invenit, & sic propriè nec emptio nec venditio, ipsa tamen resignatio, prohibente canone facta, est principium & causa primaria, per quam studet, ut amicus vel tertius, cum quo permutat beneficium, spirituale acquirat, cui ob id præstando causam, illud quodammodò censetur vendere. Et hæc necessario sic sunt accipienda, ut descriptio ad æquata reddatur suo descripto, juxta *l. 1. D. De furtis.*

*Rem spiritualement.* Quæ est proximum objectum<sup>1)</sup> hujus delicti. Et proinde si quis pro re quapiam etiam incorporea, sed non spirituali, veluti pro laico Magistratu gerendo, det vel accipiat pecuniâ, licet in aliud crimen, nempe ambitus, incidat, uti videre est in *D. & C. Ad L. Jul. de ambitu*, simoniacus tamen non erit. Uti nec ille, vitiosus quidem, qui pro industria & consilio, scientiarum effectu, stipendia petit. Nam quamvis interdum *spiritus*, & proinde *spirituale*, generaliori significatione omne incorporeum comprehendat, hic tamen peculiari quadam ratione *res spirituales* vocatur, quæ vel à Deo ad ani-

ma salutem supernaturaliter est concessa, vel ab Ecclesia virtute potestatis ipsi naturaliter concessa est instituta. Prioris generis sunt dona Spiritus Sancti, Sacramenta, potestas clavium: posterioris vero, consecrationes, benedictiones personarum ac aliarum rerum; breviter quæcumque per Ecclesiam saltem eum insigni spiritualitatis nota reperuntur instituta, ut Sacramentorum administrationi subserviant, eamque reddant vel magis cultam, vel faciliorem. Proinde statim simoniacus erit, si quis pretium det vel exigat pro conferendis Ordinibus, pro christumate vel oleo sancto, pro benedictionibus nubentium vel exequiis mortuorum, *cap. 1. cap. Ea qua re, & cap. Suam nobis 29, hoc tit.* item pro ingressu Religionis, beneficiorum collatione, excommunicationis absolutione, & Abbatis vel Episcopi consecratione, *cap. Non satis 8, cap. Cum in Ecclesia 9, c. Ad aures 4, h. t.*

14 Quid ergo videmus, dicit aliquis, quod indices ministri Ecclesie pro Missarum celebratione, mortuorum sepultura, ac similibus actibus mercedem accipiant, vel etiam jure quodammodo perant. Certè id nullo modo licitum est, ut merces detur vel recipiatur pro ipsis Sacramentis, vel etiam labore spirituali, qui quod necessarium concomitetur, interius appellari solet. Et proinde si quid detur vel recipiatur, id referri debet ad laborem antecedentem seu externum, veluti si Sacerdos diu expectare debeat, aut procul proficisci. Nam quod ejusmodi labor (sine quo actus spiritualis naturam suam perfici potest) pretio sit æstimabilis, patet ex *cap. Cum sit Romana 10, hoc tit.* Ubi Episcopus dum visitat Ecclesias, non quidem pro actu visitationis, sed pro itineris labore, procuracionem, id est honestam tractacionem licite exigit: vel referri debet ad eleemosynam ac liberalem donantis animam, ubi pactum non intercessit. *c. Et si quaestiones 18, hoc tit.* vel denique ad laudabilem consuetudinem, id est ad eam, qua traxit originem à pietate populi sponte jam olim affuerit: & citra exactiorem per modum stipendii, eleemosynæ, vel oblationis aliquid vicissim dare, *c. Ad Apostolicam 42, h. tit.* ubi Pontifex populum cogit ad observationem hujusmodi laudabilis consuetudinis. Qui sit ergo, quod in *d. cap. Non satis 8, h. t.* asseritur, nullam consuetudinem posse introduci, ut pro actu spirituali, velut mortuorum exequiis, quicquam exigatur? Verum *cap. illud loquitur de prava consuetudine, quæ non à pietate populi, sed à cupiditate mini-*

strorum ac severa exactiōe procedit. Panorm. *ad d. c. Suam nobis h. t.*

*Vel ipsi annexam* Dividunt hic sese opiniones Interpretum. Sunt enim qui per spiritualia præcisè intelligunt ea, quæ Deus supernaturaliter donat vel instituit. Cætera vero omnia, quæ ab Ecclesiastica potestate sunt, rebus spiritualibus annexa esse volunt: eaque subdividunt, dum alia dicunt esse annexa consequenter seu dependenter, hoc est quæ præter baptismatis characterem seu Christianismum in futuro possessore aliud spirituale requirunt, ut beneficium Ecclesiasticum, susceptionem tonsuræ, item consecrationem & benedictionem, actusque similes, qui non nisi ab illis, qui sacris sunt initiati, exerceantur. Sed magis recipitur ipsorum opinio, qui & hæc ipsa simpliciter inter res spirituales ponunt. Quamvis enim, ut illa primi generis, merè spiritualia non sint, sed pleraque mixta, idque vel propter laborem necessarium connexum, vel propter rem merè temporalem, ut videre est in beneficiis, quæ ex titulo spirituali & præbenda seu fructibus percipiendis veluti composita quedam sunt: spirituale tamen in ipsis tam insigne est, & ita prævalet, ut nec à laicis haberi possint, *cap. Causam 7, sup. De prescriptionib. nec distrahi, aut sine Pontificis auctoritate dimitti, totè in VI. Eccles. beneficia sine deminut.* qui quamvis pro pecunia non solet beneficia conferre, multa tamen facit, nunc dividendo, nunc partes detrahendo, ad pios sæpè usus; quæ si quis inferior faceret, utpote facultatem dispensandi super jure positivo non habens, magis periculis sese exponeret. Illa igitur proprie & magis distinctè dicemus *Spiritualibus annexa*, quæ tantum antecedenter sunt talia, hoc est, quæ conceduntur & habentur etiam ab hominibus tantum modò Christianis non consecratis, *c. De jure 16, sup. De jure patronat. c. Quando 3, & ibi eleganter Glos. ad V. connexa sup. De jure.* veluti jus patronatus per modum remunerationis, ut animentur, laicis concessum, item jus sepultura, vice dominatus, oeconomia seu rerum Ecclesie quamvis temporalium administratio, *cap. Consulare 38, h. tit.* Rursus calices sacri, ornamenta & vestes religiosæ, cum similibus, quæ & ipsa pleraque mixta sunt; sic tamen, ut spiritualitatis notam obscuriorem habeant, & in ipsis prævaleat ipsum temporale. Ita ut mirum non sit, si calices, ornamenta & vestes subinde distrabantur, servatis solemnitatibus & formâ, quæ præscribuntur *in tit. De rebus Eccles. non alienand.* Sicuti & ipsum jus

jes patronatus, non quidem seorsim, cum inconueniens sit, ut ait textus, vendi jus patronatus, quod spirituali annexum, in *d. cap. De iure*, sed saltem cum universitate honorum, *c. Cum saeculum 13, & cap. Ex literis 7, sup. De iure patron.* Quamquam in hac ipsa venditione sedulo cavendum sit, ne ob adjunctum spirituale, seu præviam consecrationem natura sua pretio non æstimabilem, res ipsa pluri æstimetur.

<sup>16</sup> Sed si hæc tam remote & leviter cohæreant spiritualibus, qui sit, dicit aliquis, quod in illis habeat locum Simonia? Hoc ita placuit Ecclesiæ, ut omnem occasionem & ansam turpis lucri præriperet illis, qui tantummodò tractant res spiritualibus tantum connexas. Quinimò si ad omnem prætextum Simonix conditor canonis simul & semel amovendum, novo edito statuat, ne vel spontanea quidem munera hætenus licita, *d. cap. Et si questiones 18, hoc tit.* pro ordinatione aut beneficii collatione posse recipi dubium non est, quin transgressio statuti saltem juris positivi efficeret simoniacum.

<sup>17</sup> His breviter positis, unum restat, ut videamus, quia vitium hoc tam enorme est, quam variis pœnis sacri Canonis illud prosequantur; admittentes ad illius accusationem quemlibet Christianum, etiam meretrices, servos & criminolos aliàs non audiendos, *c. Si dominus 3, c. Tanta est labe 7, hoc tit.* dummodò non sint inimici aut conspiratores, qui non zelo iustitiæ, sed typo

malitiæ præsumuntur accusare, *c. Licet Heli 31, & c. seq. h. tit.*

Ac primò quidem Simoniacus pœnam excommunicationis incurrit; præsertim si realis sit, à qua non nisi auctoritate S. Pontificis poterit absolvi, etiam si mediator tantummodò sit, qui vices suas interposuit, *c. 1, & 2, in Extravag. communib. h. tit.* Deinde etiam ab ordine & officio suspenditur, saltem tantisper, donec canonicè sese purgaverit, si crimen omninò non sit probatum, de quo est suspectus, *cap. Accusatum & cap. Quosies 5, h. tit.* præterea spoliatur etiam beneficio, qualecumque tandem sit illud, quod per simoniam acquisivit, *cap. Insinatum 13, h. tit.* Et si circa ingressum Religionis commissum sit vitium, tam receptus quam receptor in arctiori monasterio concluditur, *c. Quoniam 40, h. t.* Sed & necessitati restitutionis eorum, quæ recepta sunt, simoniacus semper expositus est, *d. c. 2, in Extravag. com. can. Si quis dator 1, q. 3.* Quas pœnas, & similes, per Navarrum in *Enchiridio cap. 23, circa nu. 101.* (ubi & illam speciem explicat, quæ per confidentiam committitur) diligenter collectas, confirmat & ad usum revocat Concil. Trid. *Sess. 24, c. 14, & 18, de reformat.* Quamquam interdum, si qualitas personæ & Ecclesiæ utilitas id postulet, uti regulariter per summum Pontificem, ita subinde per Episcopum dioceseos dispensatio fiat, seu gratiosa pœnarum remissio, semperque miriùs agatur cum eo, qui simonia tantummodò juris positivi contaminatus est.

#### IN TIT. IV. NE PRÆLATI VICES SVAS VEL ECCLESIAS SVB ANNUO CENSU CONCEDANT.

##### SUMMARI A.

1. *Iurisdictio Ecclesiastica alteri sub annuo censu committi non potest.*
2. *Ut neque Ecclesia, siue regimen illius.*
3. *Intellectus c. Querelam h. t.*

<sup>1</sup> **T**itulus iste velut appendix quædam præcedenti cohæret, utpote qui certam Simonix speciem contineat, qua laborabant Prælari seu Episcopi & Archidiaconi, qui adsumptis quibusdam substitutis, quos vocabant Decanos, vices suas committebant, id est, jurisdictionem, ejusque exercitium, sed pacto pretio seu annuo

censu. Id quod Pontifex hæc in *cap. 1, & 2,* tantquam simoniacum condemnat, eo quod jurisdictionis supernaturaliter à Deo data, ac proinde ejus exercitium sit res omninò spiritualis, *can. Ex multis, cap. Vendentes can. Non solum 1, quæst. 3.* Aded ut & lex civilis in *Auth. Ut Iudices sine quoquo suffragii fiant,* velit Judicem puris uti manibus, id est gratis iusticiam administrare. † Quorum exemplo quidam pastores substitutis vicariis Ecclesias suas siue regimen & ministerium committebant pro annuo censu, quod & ipsum Pontifex simoniacum esse asserit in *cap. Quoniam enormis h. t. & in c. Ad nostram sup. De simonia.*

Sed his omnibus obitare videtur *cap. Querelam h. t.*

*hoc tit.* ubi Pont. approbat factum illius, qui per septem annos continuos Ecclesiam pro annuo censu conduxerat. Hanc antinomiam seu contradictionem Glof. in d. cap. *Querelam ad verb. Praefatam Ecclesiam*, hoc modo solvit, quod vocabulum Ecclesia, quia æquivoce est, in iis locis, ubi id prohibetur, pro prælatura Ecclesiastica accipitur, quæ sine dubio, ut est res spiritualis, pacto pretio non potest committi. At verò in d. cap. *Querelam* accipitur pro fructibus seu proventibus ipsius Ecclesiæ, qui ut sunt res merè temporales, liberè possunt elocari & conducì. etiam ab ipsis laicis, præterim si tales sint, qui cupiunt Ecclesiæ conditionem efficere meliorem, cap. *Vestra no-*

*bis 2. sup. De locato & cond.* Aliud sanè erit, si Prælatus vel Pastor legitimè impeditus Vicarium substituatur, cui, ut loquuntur, vitæ competentiam, seu, ut Canones vocant, congruam portionem suppeditat, cap. *Pervenit sup. De appellation. c. Rectorib. sup. De Clerico non resid cap. Cum ex eo § porò De elect lib. 6.* Obligatio enim, quæ Vicarius certo tempore & loco seipsum ministerio obstringit, pretio æstimabilis est, cujus ob id sustentatio tamquam causa primaria & immediata in considerationem venire debet. Jam verò axioma illud, quod res per se bona vel indifferens, si finis seu intentio operantis sit mala, efficiatur mala, accipi debet de fine præcipuo & immediato.

IN TIT. V. DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

SUMMARI A.

1. Pro licentia aut labore docendi an pretium aut salarium accipere liceat.
2. Magistro de præbenda provideri debet.
3. Studiorum causa absentes gaudent fructibus suorum beneficiorum.

**P**ontifex hic reprehendit Prælatos, seu potius Magistros, quos vulgò vocamus Scholasticos, qui neminem ad docendum admittebant quantumvis idoneum, nisi acceptâ pecuniâ. Quod vitium est quidem sordidum, & à radice cupiditatis omnium malorum matre procedit, sed tamen non nisi speciem Simonis habet, cum nec licentia docendi, nec artes & scientiæ eò, quo diximus, modo sint res spirituales; quia non dantur supra vires naturæ, nec à principio supernaturali dependent, sed labore & industriâ naturali tam ab infidelibus quàm Christianis comparantur. Et proinde delinquentes hoc loco non puniuntur ut Simoniaci, sed in primis, dum extorquendo pecuniam, profectum Ecclesiæ impediunt, beneficiis suis privantur, cap. 1, *hoc tit.* Deinde quod ipsis promissum est, ut remittant coguntur, & si quid acceptum, ut restituant, c. 2,

*h tit.* Verumenim verò si magistri ex adverso pro laboribus stipendia seu minervalia petant, illud vitio verti non debet.

Sed ne pauperiores discipuli graventur, & ut gratis ac liberaliter erudiantur, mandat Pont. ut in singulis Cathedralibus Ecclesiis, atque etiam aliis, ubi facultas suppetit, peritus Magister constituantur, cui pro labore docendi proventus unius præbendæ vult concedi, etiam si Canonicus non efficiatur, d. cap. 1, & cap. *Quia nonnullis 4, hoc tit.* Cui rei insistens Concil. Trid. vult in qualibet diocesi certum, ut vocat, Seminarium erigi. Deinde ne per raritatem docentium capiatur excusatio, mandat hic Pont. Prælati & Capitulis, ut, si non satis commodè apud ipsos id fieri possit, pro capiendò cultu ingenii aliquos è Clero maximè industrios ad Academiam mittant, qui probè eruditi cæteros postmodum edoceant. † Ipsiſque interim, dum sacris studiis dant operam, toto quinquennio licet absentibus præbendarum suarum proventus speciali privilegio concedit, in cap. *Super specula h. tit. item Clem 1, & 2,* ubi præter cætera peculiaria illud quoque exprimitur, quod in certis Academiis Catholici & trium linguarum periti, nimirum Hebraicæ, Arabicæ & Chaldaicæ professores adsumi debeant.

IN TIT. VI. DE JUDÆIS, SARRACENIS, ET EORUM SERVIS.

SUMMARI A.

1. Indæ & Sarraceni qui.

2. An & qualiter inter Christianos agere possint.
3. Quatenus Christianis ad eos divertere liceat.

4. Et

4. Et quid si eorum mancipii quis velit fieri Christianus.  
5. Poena ministrantium arma Iudaeis.

**C**ontinuationis ratio est, quod peccent etiam in Deum ejusque religionem tam Judaei, id est, qui veteri Testamento mordicus inhaerent, quam Sarraceni, qui ab Agar Abrahami ancilla & Ismaele ejus filio habentes originem, impium Mahumeti popularis sui dogma, in Alcorano tamquam religionis suae regulam descriptum, amplectuntur.

**2** De his, ne societatem fidelium inficiant, multa praecipua hoc Tit. traduntur; quod scilicet neque Christianos servos habere possint, nec publicis & civilibus officiis praefici, *cap. Mulorum 2, & cap. Iudaei 1*. quod, ut noti sint atque evitentur, peculiarem & peregrinum habitum gestare debeant, *cap. In nonnullis 15, h. tit.* quod nec novas synagogas extruere, nec in die Parasceves, quando solent deridere Christianos, ostia vel fenestras apertas habere possint, *cap. 2, 4, & 7, hoc tit.* quod, si tempore belli quispiam Christianorum cum Sarracenis commercium habeat, aut illis arma subministret, ipso jure sit excommunicatus, *cap. Itaque quorundam 6, & c. Quod olim 12, h. tit.*

Ceterum si quis gratiam praedicandi Evangelium, ut convertantur, ad eos divertat, vel etiam ut captivos Christianos redimat, laudem promeretur & indulgentiam, *cap. Quam sit laudabile 10, cum c. seq. h. tit.* Quamvis alias, cum Ecclesia non judicet illos, qui foris sunt, nec unquam intraverunt aut nomen dederunt, ad fidem suscipiendam non sint cogendi, *c. Sicut Iudaei 9, h. tit.*

Illud etiam in odium Iudaismi constitutum est, ut, si quis superstitionem peccatus ex ipsorum servis sive mancipiis velit fieri Christianus, cogantur illum dimittere pro duodecim tantummodo solidis, etiam si multo cariori pretio sit emptus, *c. 1, h. tit.* Praeterea in *Clem. unica h. tit.* interdicitur Sarracenis, ne aut Mahumeti nomen publice invocent, aut ipsius sepulchrum, uti consecraverunt, pergant invisere.

Postremo in *Extravag. communib. cap. 1, h. tit.* arma ipsis administrant, non solum excommunicantur, sed & infames efficiuntur & capientiam servi; immo, bonis ipsorum Fisco addictis, tam active quam passive testamenti factorem amittunt. Quae tamen omnia cessant, si infidelis sit Christianus, quo casu eadem conditione, qua caeteri, debet frui, *c. Dignum arbitantes in Extravag. com. hoc tit.*

## IN TIT. VII. DE HAERETICIS.

*Canf. lib. III. tit. XV.*

### SUMMARIA.

1. Haeretici qui, & qualiter puniantur.
2. Quid si respicere velint.
3. Remedia ad divertendum malum haesios.
4. Inquisitores haeretica pravitatis.
5. Principes saeculares etiam haesim impedire tenentur.

**1** Graviter admodum in Dei religionem peccant haeretici, id est, qui fidem Catholicam, quam semel professi sunt, vel pro parte deseruerunt, pravamque opinionem ab Ecclesia damnatam pertinaciter tuentur, quod haeticum non tam error efficiat, quam pertinacia, *can. Hac est xxiv. quast. 1, can. Qui in Ecclesia, xxiv. qu. 1*. Hoc genus hominum, cum Reipublicae sit perniciosissimum, diris admodum poenis iactantur sacri Canonis. Nam si sunt Ecclesiastici, praeterquam quod beneficia sua ipso jure amittant, *cap.*

*Ad abolendam 9, hoc tit.* & bona ipsorum Fisco applicentur, *cap. Vergenti 10, h. tit.* etiam Ordinibus sacris privantur, ac deinde degradari brachio seu Curiae saeculari traduntur puniendi, *c. Excommunicamus 12, h. tit.* Si vero laici sunt, similiter afficiuntur supplicio, bonaque ipsorum Fisco non Ecclesiae, sed saeculari applicantur, *d. cap. Excommunicamus & damnati*; etiam si Catholicos habeant filios seu haereditas, quod, ut ait Pont. in *d. cap. Vergenti*, ipsemet Deus filios frequenter pro delicto parentum puniat, poenam nimirum temporalem, non aeternam, juxta illud, *Filius non portabit iniquitatem patris*, nempe quoad poenam aeternam: qua de re & quam justa sit haeticorum poenitio, qui promittendo fidem in baptismo jurisdictioni & correctioni Ecclesiae sese subjecerunt, Judaeis in eo dispares, videre licet apud Covar. *lib. 2. Variar. Resolut. c. 8, 8, & 10.*

Praedicta autem ita se habent, si quis perversam opinio,

opinione dicto, facto, vel scripto editam sine spe emendationis pertinaciter teneatur. Nam si recipere velit, quamvis vinculo excommunicationis intricatus maneat, supplicio tamen non periunde afficitur. Et hoc est, quod scriptores nostri dicunt; quod, cum multiplices sint pœnæ, quædam indifferenter omnes omnino hæreticos, ipsorumque fautores ac receptatores sequantur, & involuunt, nimirum pœna excommunicationis, *dist. cap. Excommunicamus & credentes, c. 5. que autem, cap. Ve officium eod. tit. lib. 6.* cui etiam respiscantes tantisper maneat obnoxii, donec à summo Pontifice, vel substituto, cui eam potestatem fecit, fuerint absoluti. Quosdam verò pœnas illis tantummodo indigi, qui sunt obstinati, suumque errorem corrigere non volunt, ut ultimum supplicium, quod respicientibus saltem remittitur. Nisi forte post abjuracionem erroris fuerint in hæresim relapsi, quo casu quidem non denegabitur illis viaticum, id est usus sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ, sed tamen Curia seculari traduntur puniendi, *cap. Super eo eod. in 6.* tamquam si interfit Resp. ut crimen tam noxium & iteratò commissum propter exempli perniciem severè puniatur. Quosdam denique pœnas esse dicunt, de rigore quidem omnibus infligendas, sed tamen quæ misericordiâ quadam possunt remitti, ut bonorum confiscatio, beneficiorum & officii amissio, *can. Convententibus l. q. 7, c. d. c. Vergentis, in verb. ut nec ad eos bona eorum ulterius revertantur, nisi ad cor redeuntibus & abnegantibus hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit.*

§. Cæterum quoniam ab hæresi maximum imminet contagii periculum, sacri Canones ad illud divertendum multa salubriter constituerunt. Ac primò quidem, ut passim non legantur, hæreticorum libros & scripta damnant, *c. Fraternitatis 4. h. t. c. Damna apud sup. De summa Trinit. nec permittunt laicis, ut unquam aut concionentur, c. Cum*

*ex inuncto 12, c. Sicut 14, h. tit. aut publicè privatimve de fide disputent, c. Quicumque & inbibemus eod. tit. lib. 6.* Quinimò & Ecclesiasticis minus hoc interdicitur, donec vel à S. Pontifice vel ab Episcopo diocesis peculiariter fuerint admissi, *d. c. Excommunicamus & quia verò. † Ubi ulterius, in 4. §. aduicimus,* sub pœna depositionis mandat Archiepiscopis & Episcopis, ut saltem semel in anno provincias suspectas visitent, atque in illis tres vel plures idoneos viros substituunt, qui, perferutatis subditorum moribus, si quos suspectos inueniant, ad Antistitem deferant, ut vel hæresim abjurent, vel ab illa sese purgent; vel, si id nequeant, pœnas illas subeant, quarum mentio fit in *d. c. Excommunicamus & credentes,* præsertim si per annum obsolescant in excommunicatione, absolutionem non impetrando. Verum ut dicti Inquisitores hæreticæ pravitatis liberi sint à metu irregularitatis, memores esse debent cautionis expressæ in *c. Novimus expedire inf. De verb. signif.* ut nempe dum tradunt hæreticos, Judicem læcularem rogent, ne mortem inferat, aut membri mutilationem. Modum etiam & formam abjuracionis videre licet in *can. Ego Berengarius dist. 2, De consecrat.*

Porro non solùm Ecclesiasticis Prælati inungit Pont. ut ipsi per se hæresim impediunt, sed etiam Principum sæculi operâ urantur, eosque, si opus est, per censuras Ecclesiasticas ad hoc cogant, *d. c. Excommunicamus & moneantur.* Qui si id fortè reculent, aut se id facturos jurare non velint, statim excommunicantur, ac ipsorum Provincia interdicto subicitur, *c. Ad abolendam 9, §. statuimus h. t.* Cum interim ex aduerso Catholici, qui, crucis adsumpto charactere, ad hæreticorum exterminium sese accingunt, eadem gaudent indulgentiâ, id est omnium peccatorum, quâ fruuntur illi, qui pro subsidio ad terram sanctam proficiscuntur, *d. c. Excommunicamus & Catholici.*

## IN TIT. VIII. DE SCHISMATICIS ET ORDINATIS AB ILLIS.

Canis. d. lib. III. tit. 15. §. 1. &amp; 2.

## SUMMARI A.

1. Schismatici qui dicantur.  
2. Pœna Schismaticorum.

Schisma quoque ad Dei pertinet injuriam. Et quidem si laxè velimus loqui, ut Schisma sit crimen, quo quis seipsum separat ab unitate Ecclesiæ, omnis etiam hæreticus erit schismaticus, licet non vice versâ. Sed propriè hæc vocan-

tur Schismatici, qui cum pravum dogma pertinaciter non tuerentur, deficient tamen & seiplos ab unitate Ecclesiasticæ politicæ subducunt ac separant, *can. Inter hæresim xxiv q. 4.* Ut si quis præ factum vel indignatione summum Pont. legitime electum pro capite suo agnoscere non velit, quamvis circa articulos fidei, Sacramentorum doctrinam, sanctorum Patrum statuta in œcumenicis Conciliis expressis de fide, nullum errorem conceperit. Postulat enim hæc politia seu hierarchia Ecclesiastica, ut quilibet Christianus ita cogitet, unum in Ecclesia esse caput & post illud alia minima, sub quibus ipse gradatim & ordine quodam cum aliis Christianis tamquam totius corporis membrum existat. Proinde dum seipsum protervè separat, vix uno gradu distat ab hæretico, facileque sibi hæresim committitur, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, *d. can. Inter hæresim.*

Ita ut mirum non sit, si eodem ferè ordine cum hæreticis habeantur schismatici: nam & pœnæ excommunicationis sunt obnoxii, *e. Lites sup. Decret. l. 2. h. 2.* & tam beneficiis quam officiis privantur, *e. 1. h. 2.* ubi etiam omnis administratio tam spiritualium rerum quam temporalium ipsis interdictur. Qui ob id nihil agunt, si vel excommunicatos absolvere, vel beneficia conferre, vel bona Ecclesiæ velint alienare, *d. c. 1. h. 2.* Et quamvis si quis ab illis ordinem characterem recipiat, seu exempli causa Subdiaconus fiat, non poterit tamen ministerium ordinis sui dare effectui, nisi, ut ait textus, misericorditer cum eo fuerit dispensatum, *e. fin. h. 2.* Ceterum si in profundum veniat schismaticus, id est si ita crescat protervia, ut (quod omnibus modis prius tentandum est, *At si Clerici sup. De iudiciis*) corrigi non possit, etiam Curia seculari puniendus potest tradi, *can. Nelicuit 17. dist.*

## IN TIT. IX. DE APOSTATIS ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

Canif. d. loco §. 3.

## SUMMARIUM.

1. Apostasia quando committatur.
2. Apostasia alia inobedientia.
3. Alia perfidia.
4. Alia irregularitatis.

**V**itium Apostasiæ generaliter loquendo tunc committitur, quando quis sacrum vitæ statum Deo ac superiori promissum male deserit: idque trifariam fieri posse asserit Glos. *in c. 1. h. 1.* 1. Ac primò quidem remotius ac velut analogicè quispiam sit Apostata per inobedientiam, dum Prælati suis, quod promiserat, obedire recusat, *e. Si quis venerit 2. C. c. Illud 5. in verbis, non debet pro temporali commodo inobedientia notam incurere sup. De majoris & obed. quibus locis insinuat, quòd Apostata inobediens notam infamiae incurrit, & abiiciendus sit seipso excommunicationis efficiendus, quæ arbitrio iudicis etiam augetur, si pergarit esse contumacior, *e. Quoniam frequenter & fin sup. Vi livo pendente C. c. can. Si quis 111 q. 4.**

2. Secundò & magis propriè dicuntur Apostatæ, qui per perfidiam tales fiunt, hoc est, qui fidem Catholicam semel susceptam ac juratam penitus deserunt, & ad instar Juliani Imp. pagani fiunt,

vel Judæi vel Saraceni, *can. Julianus xi. qu. 3. l. 1. 2. & 4. C. h. tit.* Hi quoniam hæreticis sunt peiores, utpote qui non totam fidem, sed vel unum vel aliquos tantummodò articulos fidei impugnant, non solum omnibus hæreticorum pœnis superpositis sunt obnoxii, idque vel toto quinquennio post mortem, si deferantur ac vitium detegatur, *d. l. 2. C. h. tit.* sed etiam, eo non obstante, quòd respiciant (quia perditis hominibus pœnitentiæ remedio non succurritur) à testimoniis dicendis arcentur, testamenti factionem non habent, nulli in hæreditate succedunt, à nemine scribuntur hæretes: quæ verba sunt Imp. *in d. l. 3. C. iud.*

Tertia denique species est Apostasia, ut vocant, irregularitatis, quæ committitur per desertionem Ordinis, vel Religionis: Ordinis quidem, ut si quis sacris & majoribus (nam si notatur tantum & minoribus, non punitur qui laicus fieri cupit, *cap. Ioannes sup. De Clerico conjug. e. fin. De vita & honest. Cleric.*) Ordinibus initiatus præteritudo vel contemptu suscipiat habitum laicorum, abjecto Clericorum, *cap. 1. h. tit.* Religionis verò, ut si quis regulam deserat, quam professus est, vel habitum sui ordinis semel susceptum, *cap. fin. h. tit.* Hi omnes, quia notantur infamiam, ad ordines vel officia nequeunt promoveri, *can. Beatus 111. quæst. 4.* Et, si terciò moniti non respiciant, privilegium

gium Clericorum amittunt, *cap. In audientia inf. De sent. excommunicat.* ubi argumentum sumitur ab attentata mulieris pudicitia, quæ vestem meretricis gerit. Deniq; amisso privilegio, à Prælatis possunt incarcerari, *cap. A nobis h. tit. de poni & degradari, can. Sine ornatu & can. Præcipimus xx. qu. 4. cap. Non magnopere sup. Ne Clerici vel Monachi, &c.* ubi Religiosi, qui desertis claustris dant operam legibus civilibus, excommunicantur. Hæc

de prima.

Alteram Rubr. partem de reiterantibus baptisma ideo videtur apposuisse Pont. ut significet, quod sicuti desertores fidei, qui per hoc baptismatis sigillum profanant, puniuntur, *d. l. 3. C. De Apost.* ita & illi, qui iteratò baptizantur, præsertim publicè, etiamsi fortassis occultè & in animo integritatem fidei retineant, *juxta sextum in cap. 2. h. t.*

## IN TIT. X. DE HIS QUI FILIOS OCCIDUNT.

*Canif. lib. III. tit. 17. in fine.*

## SUMMARI A.

1. Ratio ordinis.
2. Parentes, infante reposito mortuo in lecto, qualiter puniendi.

**H**Uc usque egit de delictis, quæ Deum ejusve religionem peculiariter lædunt. Detraheps verò proponit illa, quibus læditur proximus: & quoniam gravior est læsio, quæ vitæ infertur, quàm quæ thalamo & bonis externis, hoc rerum ordine servato, etiam hæc præmittit homicidii speciem, quæ vel à parentibus in filios, vel vice versâ in ipsos parentes committitur; quod sanè maleficium quàm severè lex civilis puniat, Tit. Institur. *De publ. judicis* docet,

item Pandect. *Ad L. Pomp. de parricidiis*, denique Tit. Cod. *De his, qui parentes vel liberos occiderunt.*

Sacri verò Canones, qui sanguinem non effundunt, volunt parentes, si inter dormiendum nocte suffocaverint prolem, per tres annos pœnitentiam agere, ita ut tertium transigant in pane doloris & aqua tristitiæ, *cap. ult. h. tit.* id quod verum est, si culpa aliqua saltem levis præcessit. Cæterum si impotentia animi id fecerint, aut caloris iracundiæ, voluat illos induci, ut Monasterium ingrediantur, per omnem vitam acturi pœnitentiam; aut si fortè propter metum incontinentiæ, aliamve justam causam, id non expediat, mandat Pont. ordinariis Prælatis, ut aliam pœnam arbitrariam ipsis injungant, *c. 1. & 2. h. t.*

## IN TIT. XI. DE INFANTIBUS ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

## SUMMARI A.

1. Infantem & partum languidum exponens necare videtur.
2. Expositum recipiens & nutriens an quid juris in eum acquirat.

**S**ED & illud saltem speciem habet homicidii, si parentes suos infantes, vel patroni suos elidentes & liberos, aut etiam servos, exponant, si languidi sint: nam, ut ait Paulus, non solum illè necat, qui partum suffocat, sed & ille, qui illum abijcit, ac alimenta denegat, & qui publicis locis exponit, causa misericordiæ, quæ caret ipse,

in *l. Necare D. De liberis agnosc. & aliendis* Pœna autem horum exponentum est, quod jus patriæ potestatis aut etiam dominicæ, si quod habeant, in exposito statim amittant, *l. 2. C. & c. unico hoc tit.*

At verò quaesitum fuit, An qui motus misericordiæ expositum ad se recepit & enutrivit, hoc ipsum jus sibi acquirat? Et rescriptum tam à Pont. quàm ab imperat. quod quavis enutritum non teneatur reddere, nisi recepis prius expensis, jus tamen dominicum, patriæ potestatis, vel patronatus, in exposito nequaquam acquirat, qui ob id per omnia liber manet. & sui juris, *d. c. unico & l. Sancimus C. De infantib. expositis.*



## IN TIT. XII. DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI.

Canis. lib. III. tit. 17.

## SUMMARI A.

1. Homicidium in genere quid.
2. Homicidii propriè sumpti descriptio
3. Aliud est voluntarium, aliud casuale.
4. Voluntarium quid, & quando committatur.
5. Occidens in vasorem pro defensione sui liber est ab homicidio
6. Homicidium voluntarium vel est simplex, vel qualificatum seu deliberatum.
7. Homicidium casuale quid, & quando imputetur.
8. Ab homicidio qui excusentur.
9. Præceptum Non occides quid significet.
10. Iudex ejusque ministri ac milites alium occidentes esse sunt irregulares
11. Non etiam furiosus, dormiens, ebrius.
12. Occidere directe quis dicatur.
13. Quis indirectè.
14. Seipsum occidere an aliquo casu liceat.
15. Voluntas sola etiam deliberata homicidii reum non facit.
16. Poena homicidii.
17. Jure Canonico est irregularitas, & quatenus ea incuratur.

**P**Ræmissis duabus speciebus, nunc in genere agit de homicidio; quod, si nomen explicare velis, nihil aliud est, quam hominis velut ex his quædam: sed, accepto vocabulo exsionis per antonomasiam, tam gravis est, ut inde mors sequatur, sive interim justè illa fiat, sive non, & sive ex intentione, sive casu, & denique sive innocens sit, qui perit, sive malefactor. Nam etymon sive etymologica ratio ad omnes hæc species sese extendit, ad eò ut & Horatius Hectorem cum laude homicidam appelleret, seu laudi hoc vertat, quòd insignis fuerit homicida.

<sup>2</sup> Verùm si propriè nomen homicidii accipiamus, prout passim in hoc Tit. accipitur, tantummodò injustam occisionem, quæ ut plurimum peccati species est, denotat. Proinde Judices, qui non privatà fiducia, sed publicà legis auctoritate homines occidunt, juxta illud Juris divini, *Ne patiaris vivere maleficos, non sunt homicidæ* seu rei

hujus criminis, sed, ut ait Cicero in Philipp. lib. berratis viadices.

Poterit autem Homicidium propriè sumptum sic describi, ut sit *delictum, quo quis directè vel indirectè hominem interficit*. Quam descriptionem dum in transitu explicamus, breviter annotabimus præcipua, quæ circa hunc juris articulum sacris Canonibus sunt expressa.

Sed illud præmittendum, quòd inter cæteras divisiones ea sit præcipua, quam Rubrica ponit, nempe quòd aliud sit voluntarium, aliud casuale homicidium.

Voluntarium est illud, quod ex intentione fit, seu animo occidendi, concurrente dolo seu malitia, sive quis interim aperto Marte vel per insidias occidatur, sive per incantationes & venenum: ut si in utero matris factus (quem vocant embryonem) anima jam imbutus hausto veneno vel pharmacopereat, *cap. Si aliquis 3, cap. Sicut ex literarum 20, hoc tit.* Rursus voluntarii homicidii reus erit, sive quis per se occidat, sive per alium, mandando nimirum vel opem ferendo, *cap. Sicut dignum 6, h. tit.* si tamen præter animum, uti diximus, atque intentionem concurrat & malitia; nam si illa absit, cessabit crimen. Quid enim si iudex licitori mandet? uterque liber erit ab homicidio; quia quamvis adsit animus & intentio, legis tamen auctoritate tuti sunt, dum actum justitiæ exercent, & pro salute totius corporis partem nocentem auferunt. Sitamen Judex, semota levitate, debitas ubique seruet circumstantias, quas præ reliquis necesse est elegantèr explicat Petrus a Navarra de ablato. res. *lib. 2, cap. 3, p. 2.*

Pari ratione & ille excusatur, qui seipsum defendendo in vasorem suum interficit, si modò tali loco sit, ut aliter evadere non possit, *cap. Interfecisti 2, h. tit.* & adhibeat moderamen, ut vocant, sed tantummodò propulsare injuriam, & proinde non majorem violentiam adhibeat, quam pro defensione opus est, *cap. Significasti h. tit.* Et est honesta ratio, cum omni jure licitum sit vim repellere, magisque imputandum sit illi, qui velut in alterius gladium incurrit, quam per se fieri, *I. C. de*

1. *Cum ardetes D. Si quadrupes paup' fecisse dic. l. Ut vim D. De just. & jure.* Est enim, ut ait Cicero pro Milone, non scripta sed nata lex, quam non didicimus, sed ex ipsa natura arripuimus, ad quam non docti sed facti sumus, non instituti, sed imbuti, ut si vita nostra in aliquas insidias, in vim, aut tela latronum incidat, omnis honesta ratio sit expediendæ salutis. Nec solum modò vitam, sed etiam fortunas nostras, quæ vitæ conservandæ subserviunt, & proinde apud Jurisc. dicitur vita secunda, servato moderamine, possumus tueri contra invasorem, *cap. Olim causam 12. De vestitus spoliat.* ubi cum quis ignorante domino possessionem invasisset, probatur factum domini, qui statim certior factus vim repellendo vi & cum vulnere invasorem expulit. Simile exemplum habemus in *cap. Dilecto 6. De sent. excommunic. lib 6.* ubi si defensio temporalis non sufficiat, Pontifex suadet ad arma spiritus alia, id est, ad Ecclesiasticas censuras esse fugiendum; qua de re eleganter Petr. à Navarra *d. locop. 3.* Sed hæc omnia, ut dictum est, vera sunt, si quis aliter evadere non potest, aut bona tueri: nam si potest, & occidat, reus erit criminis, etiam si furem aut latronem occidat cum telo se defendentem, *d. cap. Interfecisti:* nisi tamen fur ille sit nocturnus, quem si perfodere velis patefam impune occidit, *Si perfodiens 3. hoc tit.*

6. Hæc de voluntario, quod, ut ajunt Canonistæ, interdum consistit intra limites simplices homicidii: veluti si quis improperio provocatus, vel aliàs calor iracundiæ eadem committat, *cap. 1. sup. De his qui filios occid.* Interdum verò deliberatum est, seu, ut loquuntur, qualificatum: ut si quis destinatâ malitiâ per se, seu sicarios conductos, proximum interficiat, aut etiam dato pharmaco occidat in utero factum, sed jam animatum; nam si necdum animatus sit, quamvis pœnâ legis civilis ut homicida puniatur, si vir sit si ve mulier, quæ generationem impedit, *l. Si quis aliquid 38. §. qui abortivus D. De pœnis, l. Si mulieram 8. D. Ad L. Corn. de sicar.* quia tamen actu imaginem Dei non sustulit, re ipsâ non est nec dici debet homicida, ac proinde etiam pœnam canonicam irregularitatis non incurrit, *cap. Si aliquis 5. & ibi Gl. ad verb. ut homicida hoc tit.*

7. Casuale autem homicidium est, quod ex facto alicujus, ut loquuntur, imputabili, hoc est, quod quia culpam adjunctam habet, meritò imputatur suo auctori: nam si factum penitus sit licitum aut indifferens, quamvis præter intentionem mors sequatur, nec homicidio locus erit, nec

pœnæ, *cap. Lator præsentium 9. hoc tit.*

Cæterum duobus modis fit, ut factum imputetur, ac saltem pœna Canonica qui casu quempiam interficit, puniatur. Primò, si rei licitæ quidem det operam, sed peccet in circumstantiis, aut modum excedendo, aut debitam diligentiam non adhibendo. Sic in *c. Presbyterum 7. hoc tit.* ludi magister, cui modica castigatio permittitur, *cap. Cum voluntate inf. De sent. excommunic.* qui modum excedendo mortem intulerat, severè punitur; quod & lex civilis facere consuevit, *l. Præceptoris 6 D. Ad L. Aquil.* Alter modus est, si rei simpliciter illicitæ, vel sibi saltem illicitæ, det operam. Prioris partis exemplum est in *c. Continebatur 8. & in cap. Sufficimus 10. hoc tit.* posterioris verò in *cap. Tu nos 19 eod.* ubi Religiosus declaratur esse irregularis, qui pietatis licet intuitu & in arte penitus chirurgiam exercet, si mors ægroti sequatur: quamvis enim ista functio per se sit honesta, Religiosis tamen est illicita, quia prohibita.

Hicce ita positâ descriptionem generis breviter examinabimus. Homicidium dixi esse *delictum*, quo quis *directè* vel *indirectè* hominem interficit. Rectè sic, ut secludatur actus ille, quo vel Judex vel ipsius ministri, vel etiam milites, dum in bello, quòd justè suscipitur, flagitiosos homines occidunt: nam, ut ait textus in *can. Si homicidium 21. r. quast. 5.* quem lex jubet occidi, illum tu non occidis, sed ipsa lex. Item ut actus ille secludatur, quo vel is, qui rei licitæ prudenter dat operam, ut Sacerdos in *cap. Ioannes 23. hoc tit.* dum inter pulsandum campana decidebat; vel ille quempiam occidit, qui aliter evadere non potest, & moderatè sese defendit, *Clem. Si furiosus hoc tit.*

Dicit aliquis, Deus simpliciter & citra exceptionem dixi *Non occides:* verùm cum vita res quædam sit temporalis, eæ des ipsius hominis non habet internam atque inseparabilem malitiam sibi adjunctam, sicut odium Dei & mendacium: ac proinde lex divina benignam hanc interpretationem admittit, *Non occides* id est, nec privata auctoritate, nisi opus sit justa defensiones nec publica, nisi sub sit maleficium, & servetur ordo juris, juxta illud Eleutheri Pont. in *can. Indicantem 33. qu. 5.* Judicem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendique præbere patientiam: nec immeritò, cum defensio procedat à jure naturali, *Clem. Pastoralis 5. cæterum De sent. & re judic.* quo de re latius videre licet Petr. à Navarra *loco supra cit.*

10 Dices iterum, Si Judex cum ministris suis & militibus non peccet, cur ergo efficiuntur irregulares? Hoc fit ob sanguinis effusionem, ex intentione seu occidendi voluntate subsecutam. Neque enim irregularitas naturâ suâ seu semper est pœna, sed impedimentum, quod vel ex defectu resultat, *c. Expositi sup. De corp. vitiat. ordin. vel non*, ubi mutilatus alterâ manu non potest fieri Abbas; vel ex facto quamvis justo, ut si quis mortuâ uxore secundam ducat uxorem, vel primâ vice corruptam, licet bonum opus faciat, ob bigamiam tamen irregularis efficitur, nec ad sacros Ordines poterit promoveri, *c. Vi bigami, c. Debitum & cum ergo sup. De bigamis non ordin.*

11 Quo quis, nempe rationis ulu præditus. Quid enim si furiosus doli non capax (nam quoddam animadversioni locus sit, si ex circumstantiis deprehendatur doli capax, textus adserit in *l. Auxilium & in delictis D. De minorib.*) quid si dormicas, id est, qui inter dormiendum, dum ratione caret & intellectu, furioso similis, & proinde fato infelix quempiam occidat? Hi enim omnes nec lege civili puniuntur, eò quoddam animus & propositum delicta distinguant, *can. Merito xv. qu. 1. c. Cum voluntate inf. De sententia excom. cap. Majoris & item quaeritur sup. De baptismo, l. Illud D. De injur. l. Si servus servum & fornicarius Ad l. Aquil.* Aliud interim dicendum de ebrio, qui quamvis fortè non fiat irregularis, eò quoddam & ipse furioso sit vicinus, *can. Venter 33. dist.* quia tamen sua culpa, id est, per præviam ebrietatem, ratione destituitur, à pœna legis non est omninò liber, *can. Sanè & can. Inebriaverunt xv. quæst. 1.*

12 Directè: quando nimirum per seipsum quis agit, sive id faciat deliberato animo, sive actum exerceat illicitum, sive licitum, sed imprudenter, à quo nimirum ipse saltem debebat abstinerere.

13 Vel indirectè: quando scilicet alteri mandat, auxilium præbet, vel consulit, *c. Sicut dignum & Clericos hoc tit. can. Si quis viduam 50. dist.*

Hominem: cuiuscumque tandem conditionis & sexus, etiam Judæos, infideles & paganos, quoddam in his quoque imago Dei eluceat.

14 Sed quid à seipsum? Idem juris erit; nam hominem interficit, qui seipsum. Quod interim an nullo casu liceat, vel ut miseras evadat, vel quia peccatum commisit, vel ut turpitudinem evitet, vel ut citius salvetur, vel deniq; ob salutem Reipubl. aut aliud bonum spirituale, magnam habet controversiam. Et respondent scriptores nostri, quoddam, cum duplex sit occisionis actus; alter talis,

ex quo immediatè & necessariò mors sequitur, velut jugulatio, cordis transverberatio, peritax à cibo abstinentia; alter verò, quo non necessariò, sed mediatè dumtaxat, & velut ex accidenti, ut si quis ex carcere, dum potest, non velit fugere, aut etiam tyranno, ut olim Martyres, sese offerat: priorem modum ne quidem ob æternam salutem esse licitum, posteriorem verò saltem ob bonum commune, ac salutem sive propriam sive proximi, licitum. Ratio verò diversitatis in eo ponitur, quod à qui actum occisionis prioris generis exerceat, in primis peccet in ipsam naturam, quæ omnibus rebus inspiravit appetitum seu inclinationem sese conservandi: deinde faciat injuriam Reipubl. cui tamquam civis bonam vitæ partem debet, ut docet Aristot. *5. Ethic. c. ult.* ac proinde membrorum suorum vitæque non sit dominus, *can. Si non licet xx. 1. 1. quæst. 5. l. Liber homo D. Ad l. Aquil.* Id quod & Sapiens *c. 16.* dixit: *Tu es, Domine, qui vita & mortis habes potestatem.* At verò dum quis talem actum exerceat, unde vel certò, vel saltem verisimiliter scit se moriturum, quia sibi vim non infert, nulli facit injuriam nec sibi nec proximo, sed tantummodò ob oculos ponit salutem Reipubl. vel proximi spirituales, etiam si ex tali actu mors sequatur, quod tantum ex accidenti fit, dum ipse magis intendit finem superiorem, quam mortem propriam, qua de re eleganter Pet. à Navarra *d. cap. 3. p. 1.*

Interfici: actu nimirum, sive interim proprium factum intercedat, sive mandatum, sive auxilium & consilium, sive etiam immoderata defensio, *d. can. Si quis viduam 50. dist.* Nam si nuda adsit voluntas seu cogitatio, quamvis deliberata, eaque maneat in suis terminis, cogitandus homo non puniatur, ne quidem si citra effectum struxerit insidias, *can. fin. xv. quæst. 1. can. Cogitationis de poenit. dist. 1. l. Cogitationis D. De poenit. : qua de re eleganter Did. Covarr. ad Clem. Si furiosus 2. p. Relat.* ubi sumul explicat, quis conatus & quousque puniri debeat.

Verum enimverò ubi delictum jam est commissum, videre oportet, quæ pœna sit constituta homicidio. Ac primò quidem volunt sacri Canonis, ut Judicis prudentia semper habeat rationem quantitatis delictorum, qualitatis personarum, conditionis delinquentium, *c. Sicut dignum hoc tit.* Et ut omittamus pœnas legis civilis, mortem scil. vel exilium, uti videre est in *l. D. Ad l. Corn. de sicar.* Jure Pontificio præterquam quoddam homicidæ ad restitutionem damni illati obligat.

gentur, insignem quoque poenitentiam agere debent, *d. c. Interfici si. hoc tit.* † Sed poena omnium frequentissima, quamquam non semper, est irregularitas, quæ nihil aliud est quam canonicum impedimentum ex facto vel defectu proveniens, quo quis prohibetur sacros Ordines suscipere, aut susceptorum munus exercere. Hanc levi negotio, & multis modis (v. g. cum aliis pugnando, quamvis incerto ictu, proicerint lapides, *c. Petrus Clerici & c. Quicumque hoc tit. si duellum susceperint etiam sine laesione. c. Porro inf. De Clericis in duello pugnantibus.*) incurrunt Ecclesiastici, utpote quos sacri Canones, quantum fieri potest, abstinere volunt, ad exemplum illius, qui simul & semel pretiosi sanguinis effusione orbem redemit. Ceterum ut laici, qui publica auctoritate seu jussu legis aliquem interficiunt, hanc poenam vel potius defectum incurrant, sufficit voluntas ef-

fectu stipata: & proinde nec Judex, nec administrator ejus, nec miles, sine dispensatione sacris Ordinibus potest initiari. Verum in laicis qui privata fiducia id faciunt, saltem levis requiritur culpa. Hinc non efficiuntur irregulares, qui homicidium casuale analogicum, rei nimirum licitæ & prudenter operam dantes, committunt, *c. Ioannes 23. hoc tit.* nec ille, qui seipsum moderatè defendendo, dum aliter non potest, invasorem interficit. Efficiuntur verò, quicumque vel animo deliberato, vel aliquo alio dictorum modorum id faciunt, *can. Miror & can. Si quis viduam 50 dist.* Si homicidium, inquit, reus, aut facto aut precepto, aut consilio aut defensione (nimirum immoderata & evitabili) reus fuerit, gradu deiciatur: quod nihil aliud est dicere, quam abstinere ab ordinis ministerio, & sit irregularis.

## IN TIT. XIII. DE TORNEAMENTIS.

## SUMMARIUM.

1. Homicida est & irregularis occidens quem in torneamento.
2. Mortuus in hastiludio cur Ecclesiastica denegetur sepultura.
3. Quid si non animo pugnandi accesserit.

**E**X his jam satis patet, quòd & illi, qui in torneamento, id est hastiludio, quempiam interficiunt, sint homicidæ, ac proinde irregulares, quia nimirum rei illicitæ dant operam. † Imò verò, quoniam equestri ille & tragicus conflictus, qui non exercitii & oblectamenti causa, sed tantummodò ad ostentationem virium suscipitur, præsentissima necis est occasio, ut eo abstinetur, sacri Canones etiam illos, qui ludendi animo accedunt, & casu opprimuntur, Ecclesiastica privant sepultura; quamvis viaticum seu fructum poenitentiae & ulum. Sacramentorum mortuis non denegent. Nec obstat vulgare dictum, cui concessitur majus, & minus concessum intelligi; quia illud accipitur cum hoc temperamento, nisi minus ex speciali causa sit interdictum. Sicut ergò in *can. Episcopus 18 dist.* Prælati interdicuntur, ne per seiplos defensionem suscipiant pupillorum ac viduarum, ne hoc modo persona ipsorum vilescat: ita in presenti casu mater Ecclesia, quæ nullius salutem impedire cupit,

coemeterium tamen claudit, ut alii exemplo moniti ab hastiludiis desistant.

Aliud sanè erit, si non animo pugnandi ad nundinas hujusmodi seu ferias quispiam divertat, sed justa de causa, v. g. ut ab invento debitore pecuniam recipiat, *c. 2 hoc tit.* quod poenam *cap. 1. eod. hoc & simili casu* vult cessare, eò quòd propositum & voluntas delicta distinguant, id est, peccatum à peccato discriminent, *c. Cum voluntate inf. De sent. excom. l. Qui injuria & l. Quod reipublica D. De injur.* Nec mirum, hoc est, cum vel ipsi Clerici, quibus bellum multis modis est interdictum, bello tamen interesse possint; & quidem sine metu irregularitatis milites pugnantes animare, dummodò ipsi neminem occidant aut lædant, *cap. Petrus pen. sup. ut prox.* Irregularitatis, inquam, cujus dispensatio a S. Pont. dependet, quòd jure positivo sit introducta, *can. Inferenda 22. 11. quæst. 3.* ubi Moyses, quamvis homicida, legitur templum consecrasse, *Gi. in summa ad V. minores, 1. dist. Gl. in can. Tabernaculum 2. ad V. prohibitus, distinct. 1. de consecr.* ubi disertè asseritur, quòd quamvis peculiariter Davidi 2. Reg. propter nimiam sanguinis effusionem interdictum esset, ne vir sanguinis tam famosum Domini templum ædificaret, sacerdotibus tamen illius temporis non fuerit illicitum effundere sanguinem. Quæ res jam aliter sese habet, eò quòd ratio, qui voluntariè, quamvis iustè, hominem interficiunt, si re Judex sit, si re re-

ctis,

stis, affessor, sive Notarius sententiam scribens, sive miles, efficiantur irregulares, *can. Aliquantos* *Et can. Si quis 31. dist. cap. Sententiam sup. Ne Clerici vel monachi &c.* Cujus ratio in eo consistit, quod omnes sacri Ordines, quorum susceptionem ac ministerium irregularitas impedit, destinentur

ad sacram Eucharistiam. Illa autem cum sit Sacramentum pacis, quam sanguine effuso peperit nobis Redemptor, & homicidium maxime paci seu unitati adveseretur; honesta suadet ratio, ne ministri hujus Sacramenti fiant homicidæ, crucifigentibus magis similes, quam crucifixo.

### TIT. XIV. DE CLERICIS IN DUELLO PUGNANTIBUS.

#### SUMMARI.

1. Duella cur prohibita, & cur suscipi solita.
2. Concilii Trid. decretum in duellantes.
3. An casu aliquo tolerentur.

**S**ed & singulare certamen, à Latinis Duellum, à Græcis Monomachia appellatum, res est illicita, pravata vindictæ & homicidio subserviens, eoque ferè sine, sicut & ferri candentis attritatio, suscipi solet, ut subortæ controversiæ, dum aliter id fieri non poterat, imponeretur exitus, sique justam causam foveret vulgi opinione, qui prævaluisset. Barbarus ille mos est, & per superstitionem inventus, cum nec Deus, qui hoc modo tentatur, neque natura ad talem finem tale destinaverit medium, *c. Diligenti & cap. Significantiibus inf. De purgat. vulg.* ubi ceciderunt, qui postmodum deprehensi fuerunt justi, nimirum laici. Ut mirum non sit, si majori ratione Clericis duellum interdicitur, pœnam depositionis meritis, sive per seipsos id faciant & occidant, sive non, *cap. 1. hoc tit.* sive per aliam pugilem à se sub-

stitutum, cum per seipsum agere intelligatur, qui per alium facit, *cap. 2. hoc tit.* Quibus interim locis Pont. facit potestatem Episcopo, ut ex quadam commiseratione dispense, saltem cum eo, qui per se non occidit aut mutilavit.

Quin & jus novissimum Concil. Trid. *in cap. Destabilis duellorum usus Sess. 25. de reform.* non solum Imperatores, Reges & Principes, quia suis Provinciis singulare certamen tolerant, sed & pugnantes & patricos (ut vocant) & consules & spectatores excommunicat; privans etiam Ecclesiastica sepultura illos, qui ceciderunt.

Aliud fortè erit, si suborto bello, ut patitur multitudini, duo Principes concurrant, maxime si alter ad resistendum sit impotentior, uti docet Navarr. post Cajetanum *in Enchiridio cap. 2. nu. 8.* Quod autem solus cum solo David & Goliath sint congressi, id divino instinctu dicitur factum, *Et in d. cap. Significasti ad V. aliquatenus.* Eà ratione Jacob à mendacio, Sampson ab homicidio sui ipsius, Israëlitz à furto, Patriarchæ & alii, qui plures duxerant uxores, ab adulterio, sunt excusati, ut ait textus *in cap. Gaudemus sup. De divorciis.*

### IN TIT. XV. DE SAGITTARIIS.

#### SUMMARI.

1. Pœna sagittariorum.
2. Quando sagittis seu balistis ut liceat.

**P**ari ratione sunt irregulares, insuperque excommunicationis pœnam incurruunt, saltem ferendæ sententiæ, si non latæ, qui ubi, quando, qua ratione, & adversus quos non oportet, balistis utuntur, artem que sagittariorum exercent, *cap. unico hoc tit.* quia nimirum rei tunc illi-

citæ dant operam. \* Sed si fortè miles sit, qui in bello justè moto, ut hæresis opprimatur, ut injuria castigetur, ut res iniquè ablata recuperetur, illis velit uti, non peccabit, quia perinde est quæsumat arma, proinde etiam dolo an virtute hostem superet, *can. Dominus noster xx3. 11. quasi 2. Ita fit, ut res indifferens, mutatis circumstantiis, & præsertim, quæ præcipua circumstantiarum est, sine, nunc bona reputetur, nunc prohibita.*

IN TIT.

## IN TIT. XVI. DE ADULTERIIS ET STUPRO.

Canif. in Summa lib. III. tit. 18.

## SUMMARI A.

1. Adulterii enormitas.
2. Minus graviter peccans stuprum committentes.
3. Fornicatio quid & quadruplex.
4. Adulterium quid. & quando committatur.
5. Poena adulterorum ex utroque iure.
6. Stuprum quid, eiusque poena.
7. Item incestus.
8. Sacrilegium.
9. Concubinatus.

**H**ut usque de vitiiis, quæ vitam proximi lædunt: nunc de illis agitur, quibus læditur pudicitia, inter quæ vel præcipuum est adulterium seu cori alieni violatio, can. Lex illa §. cum ergo vers. adulterium xxxvi. quest. 1. l. Inter §. 1. D. Ad L. lul. de adult. Vitium tam enorme, ut quidvis potius pati, imò mortem subire potius oporteat, quam illud committere, c. Sacri sup. De his quæ vi metusve causa, Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 1. vitium, inquam, tam enorme, ut mulier, ne spurius seu suppositus partus alienam mariti accipiat hæreditatem, necessariò cogatur, propter præceptum restitutionis ad salutem necessarium, cap. Peccatum De reg. iur. lib. 6. illud detegere, quoties id facere potest sine periculo vitæ & famæ, cap. Officii & ibi D. inf. De poenit. & remiss. id quod & Didac. Covarr. explicat in d. cap. Peccatum 1. p. Relict. num. 4. & seqq. Denique tam enorme vitium, ut ob solam illius suspensionem, si x. g. intempestivè gerat uterum, si oscula, colloquia, & usque miscet impudicos, can. Nec aliqua xxvii. quibst 1. maritus accusare possit uxorem, cap. Maritus 4. hoc tit. & si, quod lege Juliâ patri licitum est, ut scilicet quemcumque filiam adulterum, l. Patri 20 l. Nec in ea 2. cum l. seq. D. Ad L. lul. de adult. marito autem, ut viliozem dumtaxat, l. Marito quoque 2. 4. D. eod. si, inquam, calore & impetu sæviens uxorem & adulterum in turpitudine deprehensos occidat, quamvis in foro animæ mortaliter peccet, can. Poenitentiam averturus, can. Inter hac, can. Admonere xxxiii. quest. 2. in foro tamen exteriori, ad instar aliorum, qui vel occidunt, vel Clericos percutiunt, non excommunicantur, cap. Si verò alicuius 2. in verbis, nec illo compellendus est ad sedem Apostolicam venire, quæ in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria stupriter inventum manus injecerit violentas, inf.

De sent. excommunic. Neque enim id tam lapsu & æmonis fecisse intelligitur, quam justo dolore, quem difficulter homines possunt temperare, l. Gracchus l. Si adulterii cū incestu §. Imperatores Cod. eod.

Peccant tamen minus graviter, qui stuprum, & ejus altera pars Rubr. facit mentionem, cum virgine vel vidua, quæ honestè vivit, committunt, quia saltem nec fidem matrimonii violant, nec torum alienum Sed quoniam sacris Canonibus nihil magis cordi est, quam

Concubitus prohibere vagos, dare juramantis.

altiori petito principio, ut illud detectum magis evitetur, à vitio carnis in genere ad species descendemus.

Genus igitur ipsum vocatur Fornicatio, quæ vox in universum designat quemvis concubitus seu actum Veneris illicitum, can. Pudor §. qui ergo xxxi. quest. 2. Dividitur autem in fornicationem simplicem, & eam, quæ passim dicitur non simplex, seu qualificata. Simplex ea est, seu illud mortiferum delictum, quod solutus cum soluta utrimque consentientes committunt, non solum à vinculo matrimonii, cognationis & affinitatis, sed etiam voti ac Religionis. Huic vitio nec lex civilis nec etiam Canones aliam poenam ponunt, quam ut ingemiscant. Non simplex verò seu qualificata fornicatio est actus ille illicitus, qui committitur inter non solum & solutam, vel etiam solum & solutam, sed vel interveniente violentiâ, vel continuato tempore. Quæ sanè membra alternativa satis indicant, quòd iterum qualificata fornicationis diversæ sint species, adulterium, stuprum, incestus, sacrilegium, item raptus & concubinatus: ut interim non nominemus libidinem eorum, qui naturæ veluti bellum inferunt, ipsiusque ordinem turbant, de quibus & earum poenis obiter & ex ordine aliquid.

Adulterium est concubitus illicitus, quo violatur torus proximi, d. §. cum ergo & d. l. Inter §. 1. D. hoc tit. Nec solum committitur, si conjugata impudicè seipsam det alteri, sed etiam si maritus cum alia fæmina rem habeat, sive interim illa sit materfamil. id quod lex civilis requirit, l. Eugitivus D. De verb. signif. sive soluta quæcumque, quod jure Canonum sufficit, can. Nemo xxxi. quest. 4.

T r r

O m a i -

Omnibus enim istis modis fides sacramenti utrimque præmissa violatur. Et proinde si uterque huic vitio sese dederit, locus erit axiomati, ut ait Pontif. quod paria delicta mutuam compensatione tollantur, *c. penult. & ult. hoc tit.*

5. Cæterum si vitio unius dumtaxat jus thalami sit contaminatum, lege civili per sententiam Judicis ultimum supplicium adultero irrogatur tamquam homini noxio, ac publicæ tranquillitatis perturbatori, *l. Quamvis D. Ad L. lul. de adult.* At verò jure Pontificio, quod minus semper, ut ait Pont. procedit, si Clericus sit adulter notam infamiae incurrit, atque officio destitutus in Monasterium detruditur, ut per omnem vitam patrati sceleris consuetudine ducatur, *can. Si quis Clericus 81. distincta.* quamquam, cum regulariter unus testis sit nullus, ex sola mulieris confessione Clericus dampnari non debeat, *c. Significasti hoc tit.* ubi sub finem additur, quod si super adulterio diffamatus sit, canonica purgatio ad minimum cum quinta manu ei indici debeat, alioquin si in ea deficiat, seu si se purgare non poterit, ab officio suspendendum. Quod si laicus sit, qui vitium hoc commisit, excommunicabitur à Judice Ecclesiastico, *cap. Intelleximus 6. hoc tit.* deinde contra conjugem, sive maritum sive faminam, qui deliquit, alter conjux innocens, si culpam condonare non velit, agere potest ad separationem tori; nisi vel in eodem luto hæreat, sicuti dictam est, *d. c. penult. & ult. hoc tit.* vel conscius adulterii uxorem detineat à consuetudine non desistentem, tamquam si eo casu criminis fiat particeps, ut ait textus in *c. Si vir sciens 3. hoc tit.* Sed dum ad hanc divortii pœnam agit innocens, nomen suum pro pœna talionis inscribere non debet; sicuti debet, quando coram Judice laico agit ad pœnam merè criminalem, eò quod hæc actio separationis, quamvis sit super crimine, criminalis tamen non sit, sed quasi mixta inter criminalem & civilem, ut ait text. in *c. Tua fraternitati sup. De procurat.*

6. Stuprum verò quamquam interdum tam latè sese extendat, atque fornicatio, *can. Nemo & ibi Glos xxxi. quest. 4.* dum tamen constituit peculiarem speciem (ad quam reducitur illicitus ille concubitus, quo vel vidua decipitur, vel alia famina in cælibatu honestè vivens) propriè nihil aliud est, quàm actus iste vitiosus, quo virgo corumpitur, rupto nimirum virginittatis sigillo, *c. Pervenit ad nos, quod Felix quamdam virginem stupro decipit hoc tit.* ubi simul pœnam hujus delicti ex-

primit. Et Glos. quidem ad *V. Plectendus*, pœnam civilem esse probat relegationem, aut etiam, si vis illata sit, mortem, *per §. sin autem Instituit. De publ. judic. text.* verò pœnam Canonice hanc asserit, quod stuprator, si modò corrupta ejusque parentes velint, *c. 1. hoc tit.* teneatur illam uxorem ducere, ac dotem assignare, aut, si id nolit, quod eo casu corporaliter sit castigandus, ac deinde excommunicatus in Monasterium detrudendus, *c. 2. hoc tit.* Qui si forte alleget & probet, quod corrupta quasi ultro accesserit, respectu tamen familiaræ & parentum, quibus injuriam intulit, si non ad pœnam prædictam, saltem tenetur ad damnum resarciendum, uti docet Navarr. in *Enchiridio cap. 16. num. 16.*

Incestus est vitium carnis, quod committitur inter consanguineos vel affines, *d. can. Lex illa & incestus xxxvi. quest. 1. l. Si adulterum cum incesto 38. D. Ad L. Corn. de adult.* qui si tales sint, ut jus positivum tantummodò nuptias ipsorum impediatur, simpliciter & sine addito vocatur incestus: si verò tales sint, ut jus naturæ sit impedimento, vocatur incestus nefarius, *c. Cum secundum De hered. lib. 6.* Cujus vitii eadem ferè pœna est, quæ adulterii, uti docet Covarr. ad *4. Decretal. p. 2. §. 8.*

Et quamquam vulgò incestus habeatur, si quis cum Moniali aut virgine Deo dicata rem habeat, propriè tamen & distinctionis gratiæ scelus illud sacrilegium dicitur: quod qui regere voluit per figuram matrimonii, statim excommunicatur, ut tamquam putrida Reipubl. membra devitentur, juxta *Clem. unic. sub tit. De consang. & affinit. Porro raptus quid sit tit. sequenti dicitur; & de pœna criminis non nominandi agit Pont. in *c. Clerici sup. De excessib. Pralat.* Videatur etiam Navarr. in *Enchiridio c. 27.**

Denique concubinatus est illa species fornicationis, quâ quis fædâ consuetudine & quasi contubernio conjugali, citra prævias nuptias, solutam faminam sibi associat; quod vitium quâ ratione puniatur explicat textus in *can. Prater 32. dist. Concil. Trid. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 8.* & textus in *cap. Vestra 7. sup. De cohabitatis. Cleric. & mulier* ubi distinctio adhibetur inter crimen occultum & publicum, id est, vel per sententiam, vel confessionem in judicio detectum, aut certæ rei evidentiam tam notum, ut nullâ tergiversatione celari possit.

IN TIT.

IN TIT. XVII. DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, AC VIOLATORIBUS  
ECCLESIARUM.

Canif. 4. lib. III. tit. 18. §. 7.

## S U M M A R I A.

1. Raptus quid, ejusque poena & gravitas.
2. Abducens volentem, invitum licet parentibus, an committat raptum?
3. Raptus committitur cum muliere qualibet honeste vivente.
5. Quid si non abducatur, sed vis ei inferatur.
6. Rapina quid.
7. Raptores, incendiarii & violatores Ecclesiarum qualiter puniantur.

**T**itulus iste velut mixtam continet materiam, id est, delicta, quibus partim læditur pudicitia, partim proximus in bonis fortunæ externis: proinde primò de raptu, deinde de rapinis & incendiis agendum erit.

Raptus itaque crimen est delictum, quo quis abutendi causâ mulierem honestè viventem ac invitam abducit. Rectè sic, delictum: nam non solum lex civilis gladio punit raptorem, l. unica C. De raptu virgin. seu viduar. etiam ab Ecclesia abstractum, si eò tamquam ad azylum divertat, §. neque autem homicidus in Auth. De mandatis Princip. Sive, enim factum inspicias, sive exemplum, raptor non minus Reipubl. perniciosus est, quam vel publicus latro, vel nocturnus agrorum depopulator, quibus disertè jus azyli denegatur in c. Inter alia sup. De immunit. Eccles. Sed & jus Canonicum illos excommunicat; & si Clerici sint, gradu dejicit, nec patitur inter raptorem & raptam, quamdiu illa in potestate raptoris manet, nuptias iniri, nisi prius pristinæ libertati restituta post maruram deliberationem tunc consentire velit, c. Accedens 7, h. tit. Rapta, inquit Pont. legitime contrahet cum raptore, si prior dissensus transeat postmodum in consensum. Concil. Trid. cap. 6, Sess. 24, de reform. matrim. qui textus & l. unicam, & antiquos Canones, quorum unus incipit, De puellis, alter, Placuit xxxvi. quæst. 2. quatenus id nullo modo permittunt, corrigunt & antiquant, supponendo etiam, quòd raptor mulieri abductæ pro arbitrio Judicis dotem dare debeat.

Abutendi causâ, ut nempe stuprum committat.

Nam si quis etiam invitum parentibus filiam abducatur, ut matrimonium detur effectui, de quo prius tractatum fuit, saltem jure Pontificio non erit crimen raptus, cap. Cum causa 6, h. tit. Idque tam variè, quòd perinde, ut lex civilis l. No filium D. De ritu nuptiar. Jus Pontificum in nuptiis consensum parentum necessariò non requirat, sed tantummodò ex honestate, cap. Cum apud sedem vers. sufficiat consensus eorum, de quorum conjunctione agitur, sup. De sponsalib. & matrim. idque favore Sacramenti immutatum est, ad quod etiam servus invito domino patet aditus, c. Dignum sup. De conjugio servorum.

Mulierem; quamcumque tandem, sive virgo sit, sive vidua, quæ in cœlibatu honestè vivit, dummodò sit soluta: nam si vinculo matrimonii aut Religionis sit obstructa, alia species turpitudinis, uti dictum est, emergit.

Honestè viventem. Nam si impudica abducatur, quæ corpore turpem quæstum facit, fornicatio propemodum in suis stabit finibus.

Invitam: quamvis enim jure civili, uti dictum est, raptor etiam habeatur, qui volentem abducit, sed clam & invitum parentibus, illud tamen jure Canonico jam immutatum est, d. c. Cum causa hoc tit.

Abducatur. Sed quid si è domo patris aut aliunde ad alium locum eam non abducatur, vim tamen inferat? Quamquam propriè raptus crimen non sit, vitium tamen est enorme ac raptui annexum, quod proinde capitis supplicio punitur, ut ait Paulus in l. 1, §. qui puero stuprum D. De extraord. criminib. Hæc de raptu.

Rapina est violenta rei alienæ contrectatio, can. Pœnale xiv. quæst. 5. Sic enim differt a furto, quòd fiat apertâ invasione per vim vel arma, uti videri licet in Titulis D. De vi honor. rapt. De vi honor. rapt. De vi publ. De vi privata, cum furtum tantummodò fiat fraudulenter & occultè.

Porrò raptores & incendiarios, id est, qui dolo malo ædificiis ac rebus alienis ignem injiciunt, uti & violatores, qui per vim aliena effringunt & corrumpunt, quilibet Iudex laicus capite plectitur, c. 1, & c. In Archiepiscopatu sub fin. b. t. l. 3, D. De incendio



rendio l. Divus D. De extraverd. criminib. Idque in suo territorio, cum non solum ratione domicilii rei, vel contractus, sed etiam ratione delicti quis for- rum sortiatur, seu alterius jurisdictioni subjeia- tur, c. Postulasti 14. Et c. ult. sup. De foro compet. At vero quia Judex Ecclesiasticus ab effusione sanguinis abstinere debet, d. c. In Archiepiscopatu, quomodo excommunicentur incendiarii, Romam pro ab- solutione mittendi, docetur in c. Tu nos 19 inf. De sent. excommunicat. quomodo etiam raptores ac

violatores, praesertim rerum Ecclesiae; quomodo viaticum poenitentiae illis denegetur, nisi vel re- stituant vel caveant; quomodo, quamquam in morte viaticum detur, soleant sepultura carere debeant, docetur in can. Super eo hoc tit. Quibus adde Conc. Trid. quod in c. Si quom. Sess. 22. de re- form. Clericos hac in parte malefactores etiam ex- communicat, beneficiis privat, & ad illa obtinen- da efficit inhabiles.

## IN TIT. XVIII. DE FURTIS,

Canis. d. lib. III. tit. 20.

## SUMMARI A.

1. Furtum quid.
2. Furtum sit actus contrahendo rem alienam.
3. Rei varietas Et circumstantia mutat speciem furti.
4. In re propria non committitur furtum.
5. Ut neque in re communi nisi tempore necessitatis.
6. Contrafactio debet esse fraudulenta.
7. Et lucrandi animo facta.
8. Poena furti ex utroque jure.

**F**urtum quoque in vexit aliena habendi cupi- ditas, vitium tam frequens, ut quae vis tor- menta & cruciatus ad illud averrendum vix sufficiant.

- Est autem Furtum (à furo seu nigro sic dictum, quod in obscuro ac tenebris fiat) *contrafactio frau- dulenta rei aliena, animo lucrandi facta* † *Contrafactio*, inquam; nam nec sola cogitatio furem facit, l. 1. §. 1. D. hoc tit. nec etiam cogitatus, ut si quis animo fu- randi domum alterius sit ingressus, l. *Vulgaris* §. *quis furti* D. eod. quamquam aliàs in delictis etiam cogitatus puniatur. Videatur Covarr. ad Clem. Si *fra- viosus* 2. p. *Relecti* nu. 6. sed oportet ut actus rem con- tractet, sive interim illam auferat, sive, uti fit in deposito, commutato & pignore, illa utatur, aut aliter utatur, quam oportet, §. *furtum* *Instit. De oblig. qua ex delicto nasci* l. *Si pignore* §. 4. D. eod. & sive per seipsum rem contractet, sive per alium, cui consulerit, adjuvat, & occultat spe lucri, c. *Quicumque fure hoc tit.*
- Res pro cuius varietate furtum mutat speciem, & nunc lenius nunc severius punitur: ut v. g. si res sacra sit, quae surripitur, vel è loco sacro, non

simplex furtum erit, sed sacrilegium, can. *Kapit.* can. *Qui quis inventus* §. *sacrilegium* xiv. *quasi* §. Si vero res sit, quae pertinet ad Reipubl. crimen committitur peculatus; si liber homo, plagium; si grex abducitur, aliud crimen, quod actus puni- tur quam furtum, l. 2. D. *ambiguis*.

*Aliena*; quia nemo in re propria furtum com- mittit, nisi quatenus illa aliquid alieni habet: ut si debitor pignus creditori obnoxium surripiat, §. *aliquando* *Instit. De oblig. qua ex del. nasci*. Nemo eti- am in re communi, saltem quoad usum licitum, furtum committit. Et proinde si quis in extrema necessitate constitutus, id est, tanta, quae secum trahit periculum mortis, cibaria, vestes, aliave id genus, quae nomine fructuum continentur, ad se rapiat, fur non erit, c. *Si quis* 2. *hoc tit.* Ubi *Gl. ad v. poenitentia*, distinguit remotiorem seu modicam necessitatem, quae solummodo poenam mitigat, ab extrema, quae penitus à furto excusat. Cujus de cisionis ratio est, quod extrema necessitas om- nes illas res, quae à natura hominum sustentationi destinatae sunt, efficiat communes, juxta illud *Ambrosii*: *Esurientium panis est, quem tu deti- nes, nudorum indumentum est, quod tu recludis, & miserorum redemptio est & absolutio pecuniae, quam tu in terram de fodis*, can. *Sicut* 47. *dist.* Covarr. ad c. *Peccatum* p. 2. *Relecti* §. 1. ubi simul explicat, si extremam necessitatem passus, redeat ad pinguiorem fortunam, an teneatur ad restituti- onem, & cur illa magis à furto quam à restituti- one quempiam excuset.

*Fraudulenta*, id est, clanculum & eo animo, ut dominus invito res suam priveretur, vel saltem rei suae usu ac possessione; quod eadem sit ratio torti- us &

*l. Cùm as 20, D. eod. l. Quæ de tota D. De rei vindic. Fraudem verò adesse oportet; nam sine affectu furandi erimen illud non committitur, § placus Instic. De obligat. qua ex del. & proinde si quis iussu vel permisso domini, aut etiam probabiliter sibi persuadeat, quòd dominus contrectationem indignè non sit laturus, ne fur erit, l. Qui vas 48, D. eod. Deinde per hanc partem furtum distinguitur à rapina, quæ quia violentiam includit, alia delicti species est, quamquam interdum dictiones istæ confundantur, can. Si quid invenisti xiv. q. 5.*

7. *Lucrandi animo facta.* Nam si occultanda veritatis gratia instrumenta invito domino quispiam contrectet, vel etiam libidinis aut oblectamenti causa rem aliam occultet, quamvis simile delictum, propriè tamen furtum non committit, l. Qui tabulas 27, D. eod.

8. *Sunt qui addunt descriptioni, Legenaturali prohibita;* non tamen tam necessariò quam expositionis causa, eo quòd lex naturæ dicitur ab aliis esse abstinentum, utque alteri non facias, quod tibi non vis fieri. Et idcirco mirum non est, si furtum tam multis modis puniatur: nam in primis iure civili, si criminalis sit actio, & furtum enorme seu qualificatum, ultimo supplicio puniatur. Quod quamquam durum sit, nempe pro rebus fortunæ caducis vitam dare, more gentium tamen ubique receptum est, propter criminis

qualitatem, quod si severè non puniatur sua frequentia penitus evertet rem publicam Covar. lib. 2. Variar. resolut. c. 9, nam. 7. Deinde lex civilis, salva semper rei vindicatione & conditione furtiva, pœnam quadrupli constituit, si fur sit manifestus, id est, ita in delicto deprehensus, ut jam inficias ire non possit; dupli verò, si non sit manifestus, l. Quod ergò 12, § fin. D. De his qui not. infamia. Jus autem Pontificium laicos relinquens laicis puniendos, c. 1 h. tit. si contingat Clericum esse furem, pœna depositionis illum, punit. ac tandem excommunicatum, si corrigi non possit, ad Judicem etiam laicum, ut reprimatur, remittit, cap. Cùm non ab homine sup. De iudic. Par sanè & Ecclesiasticorum & laicorum conditio in eo versatur, quòd præterquam in utroque foro teneantur ad restitutionem salutis necessariam, c. Peccatum De R. l. lib. 6, uterque etiam post prævias admonitiones, ut furtum revelerur, & res deperdita seu surrepta reddatur, publicè excommunicetur, idque certo modo, qui non solum auctores furti, sed etiam confcios & consultores involvit, sicut videre licet in c. 1, in Extravag. communib. h. t. & in Quamvis Concil. Trid. 25, Sess. de reform. ubi tamen admonet textus, ne quis temerè ac levi de causa, excommunicatione (quam vocant nervum Ecclesiasticæ disciplinæ) utatur.

## IN TIT. XIX. DE USURIS.

Canif. d. lib. III. tit. 21.

## SUMMARI A.

1. Vitii huius & delicti enormitas.
2. Usura quid?
3. Alia est Mentalis, alia Realis.
4. Lucrum in quo consistat.
5. Usura quomodo circa pignora committatur.
6. Lucrum verum esse oportet.
7. Ob justum interesse vel damni emergentis vel lucrû cessantio amplius peti potest.
8. Usura propriè dicta consistit in vero mutuo, non etiam palliata.
9. Lucrum ex mutuo saltem secundariò sperare licet.
10. Usura iure divino & naturali prohibita.
11. Non etiam redditus annui.
12. Frustra fenerator vitium hoc tegere aut excusare studet.
13. Pœna usurariorum.

**E**X eodem fonte, id est, radice cupiditatis, promanet usura, in bonis externis graviter lædens proximum. Quod vitium quàm sit enorme, non solum veteris & Novi Testamenti comprobatur auctoritas, sed etiam gentilium scriptorum testimonia. Nam in primis Aristophanes in Nubib. usuram esse asserit feram quamdam bestiam, quæ per mensem & per diem, sensim labente tempore, argentum seu pecuniam semper generat. Aristot. lib. 4, Ethic cap 2, eandem dicit esse turpem quæstum ac turpe lucrum. Sed & Cicero lib. 2, de Offic. asserit, quòd dare pecuniam ad usuram nihil aliud sit quàm hominem occidere. Quinimò Marcus Cato scribens de Republica fœneratorem seu danistam furibus pejorem esse contendit, ac severius puniendum; hoc suo testimonio, uti & præcedentes, satis superque infirmant, quòd usura contrarietur naturæ, utpote

Tit 3

quæ

quæ se statur lucrum ex re sterili, id est, ex pecunia, cujus usus consistit in abusu. Sed ut vitium hoc, quod per anfractus suos late extenditur, commodius innotescat, vulgarem ipsius descriptionem obiter explicabimus.

2 Ac primò quidem sciendum, quòd Usura (quæ nihil aliud primæ vâ significatione denotat, quam usum cujusque rei, juxta illud Cicer. *Cur usuram lucis tam diuturnam detulisti*, id est, usum vitæ?) passim apud scriptores accipitur, idque non rarò, pro re seu pretio & æstimatione per usuram partit; sicut & furtum subinde pro re furtiva, ac similia abstracta non pro ipsa opera seu actione, sed pro ipso opere, id est, sine seu fructu actionis accipiuntur. Eâ ratione sic definiunt, quòd usura sit *quicquid ex facto vel spe præcedenti ultra sortem accipitur*. Sed magis ad institutum facit illorum descriptio, qui usuram, quatenus sonat vitium, ac delicti speciem constituit, sic definiunt: *Usura est voluntas studiosa capiendi aliquid lucri corporalis ex causa mutui*. Addunt quidam, *principaliter, & lege naturali prohibita*.

3 *Voluntas*, sive expressa sive tacita; ut sensus sit, Usura est actus voluntatis, sive interim interior ille sit ac delitescat, sive externo judicio actuque sese prodar. Sicut enim Simonia, quæ & ipsa studiosa est voluntas, quædam dicitur esse mentalis, quædam verò realis, sic & usura. Ideoque non solum hoc vitio contaminatur, qui pro mutuo lucrum expressè paciscitur, sed etiam ille, qui sine omni peccato aut actu exteriori, spe tamen lucrum accipiendi, dat mutuum; ita nimirum in animo constitutus, ut, si sciret se præter sortem nihil accepturum, mutuum daturus non fuisset, *cap. Consuluit 10, h. tit.* ubi sub finem disertè deciditur, quòd & talis generator in animæ judicio cogendus sit ad restitutionem, tamquam si luero, quamvis sine pacto, sed quod seriò & principaliter sperabat, accepto, mentalis usura jam transeat in oppositam speciem. An verò res similiter sese habeat in simonia mentali disputat Navar. in *Enchirid. cap. 23, num. 102*.

*Studiosa*, id est, deliberata, uti diximus; nam cum usura & simonia sint vitia animæ mortifera, neutrum ex parvisipitiis est æstimandum.

4 *Aliquid lucri*; sive illud aliquid sit pecunia, sive alia res seu species, ut vinum & frumentum, cujus usus consistit in consumptione, & quam ipse mutuans à mutuatario expectat: veluti si pro mutuo pignus accipiat, sed eâ conditione, ut, quamdiu pecunia non redditur, fructum ipsius pignoris

suum faciat. † Proinde eo casu, si quis totus esse velit, fructus è pignore perceptos in sortem seu sortis diminutionem computare debet, hoc est, v.g. si mutuo accepit centum, & ex fructu pignoris viginti, jam non nisi LXXX. ulterius repetere potest, *cap. 1, & 2, h. tit.* Ad eò ut, si morâ temporis è fructu percipiat centum, jam pignus, ut ait, licet malè, uti posteriùs patebit, à sacris Canonibus discrepet Jus civile antiquum, utpote quod permittit ut quis pro mutuo vicissim recipiat fructum pignoris, tamquam si reciprocus ille usus, quo tu uteris pecunia mea, ego re tua, *l. Si pecuniam D. De pignorat. act. l. Si ea lege C. De usur. & quem Græcè vocant, antichresin, vel sub eo saltem prætextu sit licitus, quòd & incerti sint pignoris proventus, & mea pecunia fortassis plus fuisset lucratura, si nimirum honestæ negotiationi eam applicuisset.*

*Lucri*; id est, quæstus seu compendii, quod damno opponitur. Debet autem verum hic lucrum intervenire, quia si ultra sortem peratur aliquid, non ut lucrum, sed ut debitum, vel quasi debitum, per modum compensationis, cessabit usura. Quid enim si quis justum bellum secutus, ab hoste rebelli, cui Princeps omnia bona potest auferre, aliquid amplius recipiat, vel sub eo saltem Pont. in *can. Ab eo xiv. quæst. 3, ubi jus belli, ubi jus usura?* quid si ex justo titulo bonæ venditionis mihi debeas centum, & ego dem mutuum, ut ut mihi satisfacias? † quid etiam, si ob justum, ut vocant, interesse vel damni emergentis, vel lucri cessantis amplius peratur? Pone casum: petis à me pecuniam mutuam, qua pro vitando damno ædes ruinosas refecissem, vel in tempore emendo frumentum, honestum quæstum facere potuissem: eo casu si quid præter sortem exigatur, non ut lucrum exigitur, sed ut compensatio seu retributio damni verisimiliter emergentis, aut lucri, quo mutuanus carere debet, dum tibi benefacit. Hac ratione Pontifex in *c. Salubriter 16, h. tit.* dicit, quòd maritus, cui dos erat promissa, sed non soluta, si pro dotis securitate pignus accepit, tanta conscientia possit fructum retinere, etiam non computando illum in sortem: idque tamquam justum interesse, quippe qui de defectu dotis non solutæ pro oneribus matrimonii patrimonium sortis suum consumere debuit, aut sub usuris licitis & ab Ecclesia approbatis seu annuis redditibus pecuniam quærere. Ut non dicamus, quòd ex do-

tali pecunia, si tempestive numerata fuisset, majoris industrius lucrum, quod nunc cessat, facere potuisset. Videatur Covarr. lib. 3, Var. Resolut. cap. 1, num. 3. Eadem ratione & dominus excusatur, qui ratione mutui feudum accepit in pignus a vasallo, non computando fructus ejusdem in sortem; quasi tantum interfit, quod interea temporis vasallus non praestet ministerium fidelitatis pretio aestimabile, cap. 1, sup. De feudis. Similiter & illi excusantur, qui rem suam, quam adhuc forte vendere non cupiunt, majoris vendunt, sed dilata solutione in illud tempus, quo verisimile est, quod plus valebit, cap. In civitate 6, cap. Naviganti fin. in fine h. tit. Illi quoque, qui periculum sortis & onus transvehendae pecuniae per modum, ut loquantur, cambii in se suscipiunt. Et quamvis d. cap. fin. h. tit. videatur nauticum foenus simpliciter rejicere, quod tamen ille textus respiciat ad illum casum, quando non subest verisimile maris periculum, explicat Covar. d. loco c. 2. Denique & plures alii sunt casus, qui prima fronte videntur esse vitiosi, sed in recessu, si adhibeatur haec distinctio lucri & non lucri, carebunt omni vitio. Verum sedulo id semper cavendum est, ut secludatur fraus, dolus, & nimia quantitas.

*Corporalis;* hoc est, quod pecunia solet aestimari. Proinde excusantur, qui dant mutuum pro captanda alicujus benevolentia vel amicitia; eo magis, quod per legem remuneratoriam, cui datum est mutuum, ad hujusmodi humanitatis officia sit obligatus.

*Ultra sortem;* id est ultra capitale seu pecuniam primariam, quae praecise fuit data, juxta illud Terentii in Adelphis, *Etiam de sorte venio in dubium miser;* id est, de pretio emptionis, tamquam si dicat, tantum abest, ut lucrum sperare possim.

*Ex causa mutui;* Neque enim aliis contractibus, sed soli mutuo adharet hoc vitium tamquam scabies cuti, eo quod in solo mutuo tradatur res, cujus usus consistit in abusu seu in consumptione, Et proinde Pont. in d. c. In civitate dicit, quod qui rem vendit majoris quam valet, ob dilatam solutionem in illud tempus, quo ne verisimiliter quidem plus valebit, proprie non sit foenerator, sed aliud peccatum committat, eo quod rem mutuum non det, sed vendat: scire tamen debemus, quod, sicuti mutuum aliud est verum & expressum, aliud tacitum, sic & usura quaedam sit proprie dicta, quae consistit in vero mutuo, quaedam tacita seu tecta &, ut loquuntur, palliata, quando nimirum sub praetextu alterius contractus, sive

venditionis sive pignoris, sive permutationis, ultra sortem aliquid acquiritur. Idque bifariam evenire potest; interdum quando partes, ut tegant suam ineptiam, tantummodo simulat se alium contractum inire, ut in cap. Ad nostram sup. De empt. & vendit. ubi Pont. increpat creditores illos, qui sub titulo emptionis usuram tegebant, asserens plus valere debere, quod agitur, quam quod simulat concipitur. interdum vero, quando revera alius quidem contractus initur, & a mutuo specie diversus, sed tamen talis, in quo usura mutuatore relucet, d. cap. In civitate, d. cap. fin. vers. ille quoque & ibi Glos. ad V. verisimiliter, ubi reprehenditur, qui dabat decem solidos ea lege, ut totidem mensuras tritici reciperet, sed futuro tempore, quando triticum multo plus valeat.

*Principaliter.* Hoc addunt aliqui, ut significetur, quod saltem secundario & velut ex consequenti liceat sperare lucrum, dummodo mutuum primario detur ad amicitiam captandam, vel similem honestam causam. Quae ratione superius etiam dictum fuit, quod obsequio vel lingua non committat simoniam, qui alteri subservit vel commendat, ut ipsius benevolentiam promereatur, etiamsi minus principaliter beneficium Ecclesiasticum vel aliam rem spiritualement expectet, uti Glos. docet, adduceas multos canones, in can. Quid proderit 61, dist.

*In re natura prohibita.* Quod usura, quae quatum facit ex usu rei seu pecuniae, & Graece dicitur *τόκος*, id est, partus, quod nummus pariat nummum, jure divino & veteri & novo sit inhibita, per se notum est ex Psalmo, *Domine quis habitabit, & dicto Redemptoris, apud Lucam cap. 6, Mutuum date, nihil inde sperantes*: cujus prior pars est consilii, posterior praecipi. Quod autem etiam jure naturali usura & multo magis anatocismus, ut vocat Cicero lib. 3, ad Artic. Epist. ult. id est, usura usurarum, sit prohibita, post alios probat Covarr. multis rationibus lib. 3, Variar. Resolut. cap. 1, num. 5. Praecipua ratio in eo versatur, quod usus pecuniae, aliarumque rerum, quae mutuum, ut ajuunt, functionem recipiunt, consistat in abusu seu consumptione, & a re sit inseparabilis, ideoque seorsim & naturaliter vendi non possit, & quod proinde fiat injuria proximo, qui obstringitur & ad sortem reddendam & ad foenus seu foetum ac fructum ipsius usus, qui contra naturam separatur a suo subiecto.

Aliud sane est in constitutione annuorum, ut

vocant,

vocant, redituum, quos sacri Canones comprobant in c. 1. & 2. sub tit. De empt. & vendit. in Extravag. communib. tum quod ex parte emptoris non nudus tantummodò usus præstetur, sed pecunia tota quanta est transferatur; tum quod ex parte venditoris, qui pecuniæ sortem restituere non tenetur, sed ad libitum vero usui illam applicando, id est, rebus commutandis, concurrente industriâ honestum quæstum facere potest, reditus veluti tradatur: quæ merx quædam est, & per Pont. discretè computatur inter bona in mobilia in Clem. Exivi §. cumque annui reditus sub tit. De verb. signif.

Communis est interim fœnerator causas, quibus turpitudinem suam tegere studet; tamquam si ratio id dicit, ut, cui beneficium mutuæ pecuniæ impenditur, vicissim aliquid rependere debeat; tamquam si concedendo pecuniam, non simplicem ipsius usum vendat, sed interusarium & commoditatem, pretio æstimabilem, tamquam si pecuniam concedendo sit in causa, ut vicissimis sæpè magnum quæstum faciat; tamquam denique nulli fiat injuria, si debitor, qui rerum suarum moderator est & arbiter, ultrò aliquid pro usu sortis reddat. Sed sufficere ipsi debet, quod accepto beneficio mutuarius, juxta dictamen rectæ rationis, vicissim obligetur ad antidota seu ad eadem humanitatis officia, l. Sed etsi 2 §. consultus D. De petit. hered. qui non tam sterili pecuniæ sibi concessæ, aut ipsius commoditati, quæ tantummodò causa sunt, ut vocant, sine qua non, quàm lux industriæ acceptum ferre debet, si quid lucri accedat. Cujus etiam mutuarii consensus siue ultronea oblatio hîc nihil potest operari, seu ex injusto facere justum, utpote qui per nequitiam & improbitatem morosi mutuatoris semper intelligitur extortus. Ut interim non dicamus, quod, ut excusatio in peccatis cesset, jura subve-

niant mutuatori, si justum aliquod interesse vel damni emergentis vel lucri cessantis honestâ ratione prætereundum possit, d. cap. In civitate & d. cap. fin. vers. ratione hujus dubii h. 2.

Superest nunc, ut, quoniam vitium hoc divino ac humano jure constat esse prohibitum, cap. Super eo 4, hoc tit. de pœnis ejusdem obiter aliquid dicamus. Et quamquam lex civilis hæc in parte frigidior est, quippe quæ usuras, si non tamquam naturâ sua laudabiles, saltem tamquam media quædam, majoribus malis evitandis subservientia permittat, l. Placuit D. & l. Eos Cod. De usur. jus tamen Pontificum pro modo & qualitate delicti varias pœnas introduxit. Nam præterquam quod usurarii notentur infamia, can. Infames §. Per 20 xxxvi. q. 7, etiam lege civili, si legitimum modum excedant, & usuras usurarum exigentibus infamiæ macula inuritur, l. Improbum sentus C. cod. item præterquam quod tam ipsi quàm eorum heredes etiam extranei cogantur restituere quæstum scelere partum, cap. Tua nos 9, h. 1. & quidem pauperibus, si non extent, à quibus fœnus acceperunt, cap. Cum tu 5, h. 2. si usurarii sint manifesti, id est, si fœnus exerceant in vulgus, seu publicè notum, & sacra communione privantur & Ecclesiastica sepultura, nisi respiscant, usuras restituant, vel saltem pro restituendis cautionem dent idoneam, c. Quia in omnibus 3, d. ce Cum tu h. tit. c. Quamquam cod. in 6, ubi simul prohibetur sub interemptione, ne quisquam eorum oblationem recipiat, & consequenter quod restamenta ab iis facti nullius sint valoris, nisi concurrat restitutio. Ut interim non omittamus, quod non solum à jure, sed etiam ab homine seu Judice pœna infligatur, qui Clericos hujus criminis reos ab officio suspendere potest ac deponere; laicos etiam excommunicare, ut perterriti respiscant, c. Præterea 7, h. tit. can. Si quis 17, dist.

## IN TIT. XX. DE CRIMINE FALSI,

Canil. d. lib. III. tit. 19.

### S U M M A R I A.

1. Falsi crimen quis committere dicatur.
2. Quibus modis & à quibus committatur.
3. Pœna falsum committentium.

**C**rimen falsi committit, qui per dolosam veritatis imitationem falsum obtrudit, ut

proximum lædat. Neque omne falsum seu vero contrarium hîc punitur, sed illud dumtaxat, quod dolo malo seu animo corrumpendæ veritatis in alterius injuriam committitur, l. Nec exemplum Cod. Ad L. Corn. de falsis.

Committi autem potest variis modis, dicto, scripto, facto, vel usu: nam non solum illi recedantur hîc, qui falsas literas vel instrumenta,

sive per raturas & lituras, sive alio quocumque modo conficiunt & utuntur, cap. Ad falsariorum 7, & cap. Ex conscientia ult. h. tit. nec solum illi, qui falsum perferunt testimonium, tribus, ut ait Pont. personis obnoxii sunt, Deo, qui vocatus in testem illuditur; Iudici, qui mendaciis decipitur; proximo innocenti, qui falso testimonio læditur, cap. 1, h. tit. sed etiam illi, qui falsam monetam cudent, vel nummos arrodant, vel tale quid, quando possunt, non impediunt, l. Quicumque & l. Lege D. Ad L. Corn. de falsi qui falsas monetas faciunt, vel jam factis utuntur, l. Qui falsum D. eod. qui testamenta vivorum surripiunt, aperiunt, delent, vel produnt, l. 1, §. is qui D. eod. item qui falsum titulum honoris aut ordinis sibi sumunt, l. Eos D. eod. aut etiam edicta publica corrumpunt, l. ponit. D. eod.

Hi omnes, sicut & alii quidam, uti passim videre est in toto tit. D & Cod. Ad L. Corn. de falsi, præterquam quòd tam ipsi quàm eorum hæredes obligentur ad turpia luera reddenda, l. Cum falsi D. eod. l. Lucius D. De jure fisci, Jure civili acriter puniuntur; quamquam lubinde pro qualitate delicti & personarum paulò benignius: cum interim pœna ordinaria legis Corn. in sevis sit ultimum supplicium, in liberis hominibus deportatio & bonorum omnium publicatio, l. 1, §. pœna falsi D. eod. At verò Jus Pontificum eos, qui circa literas Pontificias falsum committunt, itacim excommunicat: deinde laicos à sæculari Iudice puniendos relinquit, Clericos confestim, id est, non expectata emendatione, quæ tamen aliàs semper expectari solet, e. Cum non ab homine 10, sup. De ju-

dic. beneficiis spoliatos & ab ordine depositos, ut secundum leges civiles puniantur, eidem Iudici tradit, d. cap. Ad falsariorum h. tit. ubi interim sub finem additur, quòd malitia semper acrius quàm negligentia vel ignorantia puniri debeat. Nec solum qui falsum committit, sed & qui utitur, aut usu falsas literas penes se per viginti dies continuos detinet, excommunicatur, à solo Pontifice absolvendus, cap. Dura 4, §. abicientes h. tit. Præsertim si non sint literæ seu rescripta, ut vocant, justitiæ vel ad lites, quibus nimirum Pont. vel Iudicem dat appellancibus, vel super dubio juris responderi, quòd circa illas, quia levè negotio impetrantur, nemo facillè præsumatur falsum committere: & proinde etiam detecta falsitate, si impetrans illis uti desinat, nec beneficio nec officio privatur, text. est in cap. Accedens h. tit. Porro si Clericus Regiis literis falsum inserat, deponitur, & accepto in fronte stigmate seu cauterio, mittitur in exilium, cap. Ad audientiam h. tit. Denique si literas inferioris Prælati vitiet, aut falsum testimonium dicat, depositus concluditur in monasterio, ut laica tantummodò communione contentus pœnitentiam agat, can. Si Episcopus 50, dist. Idem iudicium erit de aliis speciebus falsi, eo quòd in d. cap. Cum non ab homine crimen hoc computeur inter graviora; nisi fortè pro qualitate circumstantiarum arbitrium Iudicis aliud statuatur, e. Cum olim magister 23, sup. De offic. Iud. deleg. d. cap. Ad falsariorum, ubi vel ob solam ignorantiam falsarius Pontificis quamvis sera pœnitentia ductus punitur; id quod pro terrore exempli perniciosi est introductum.

## IN TIT. XXI. DE SORTILEGIIS.

Canis, lib. III. tit. 16.

## S U M M A R I A.

1. Ratio continuationis.
2. Sors & usus sortis indifferens.
3. Sortilegium quid.
4. Sortilegii species varia, & Sortilegi qui dicantur.
5. Crimen hoc quomodo & à quo puniatur.

**S**ortilegium, quia superstitionem continet & idololatriam, religioni repugnat, ac proinde cum primis vitis censeri debuisse. Ratio tamen,

cur hic interferatur, reddi potest, quòd cum falso magnam habeat affinitatem, propterea quòd sortilegus sub prætextu pietatis & fidei religionis nequitiam suam exerceat, can. Sortilegi xxvi. qu. 1.

Sed quo pacto dicet aliquis, cum sors & usus sortis sit actus adiaphorus & indifferens, saltem natura sua non malus? can. Sors non aliquid mali est xvi. quæst. 2, quid enim, dum id aliter commodè fieri non potest, si per sortem sit aliquid dividendum aut dirimendum, ut controversia sopiatur? l. Si duobus C. Communia de legat. & fideicom. l. In tribus D. De iudic. Ea ratione in Actis Apostolorum

Ecclesia per sortem consuluit Deum, ut alterum è duobus in locum proditoris satrogaret: quamquam postmodum perpetuo edicto & certâ ratione prohibitum sit, ne amplius sorte fiat electio Prelatorum, *cap. Ecclesia vestra h. tit.* sed juxta formam, quæ proponitur in *c. Quia propter 42. sup. De elect.*

3 Sed objectioni responderetur, quodd, quamquam fors indifferenter sese habeat, sortilegium tamen ex usu loquendi semper in malam partem accipitur, nimirum, non pro quocumque usu sortis etiam licite, cujus generis sunt sortes, ut vocant, divinatoriæ vel etiam consultoriæ, si legitimus modus adit & debita reverentia, sed pro usu sortis illicito ac superstitioso, qui vel expresse vel saltem implicite operâ & arte dæmonis committitur. Imò verò cum species malignantis naturæ sæpè inficiat suum genus, quâ ratione privantia dicuntur non ab habitu, sed à parte peiori, sortilegium nunc denotat quemlibet usum diabolicæ superstitionis, cultui latriæ ac religioni repugnantem, sive per illum occultæ rei cognitio quærat, quod est propriè sortilegium, sive superstitiosè aliquod opus seu effectus producat. ¶ Et proinde non solum fors divinatoria hinc prohibetur, sed etiam praestigium & magia, augurium & veneficium, incantatio & maleficium, hoc est, non illos solum dicimus esse sortilegos, qui occultam veritatem inquirunt, idque vel pro vocato & adstante dæmone, vel ejus substituto, id est, mortui vel vivi hominis figurâ, quam diabolus oculos perstringendo repræsentat, quique per astrolabium, cribri rotationem, avium garritum, viscerum inspectionem, & id genus alia media illicita, sorta disquirunt, aut futura prædicant, *c. Ex suarum h. tit.* sed etiam qui per phylacteria, sacra verba miscendo barbatis, vel per ligaturas, vel similia media suâ dæmonis inventa, & quæ nec Deus nec natura ad talem finem destinavit, mirum aliquod ad ostentationem faciunt, vel morbos & illicita desideria excitant, vel similes calamitates & miseras, aut etiam è contratio

morbos & miseras arte dæmonis tollunt, *can. Si quis Episcopus xxvi q. 5. can. Admonent & possim ead. q. 7. & q. 5.* Idque vel per pactum læpè cum diabolo, etiam per formam publicæ professionis, initium, vel saltem tacitè, dum quis citra omnem conventionem tali medio utitur, quod scit & scire debet sine dæmonis consensu & operatione talem vim non habere. Quoties enim experitur dæmon, homines, sive per malitiam, sive per simplicem curiositatem, talibus mediis uti, à senimurum traditis, statim adest, opus promovet, & ut augeat sibi que acquirat cultum divinum, cuius est avidissimus, partim per vites naturæ, partim per longam experientiam, quâ multum valet, effectum à ministro suo intentum, si non verè, saltem apparenter producit.

Verumenimverò cum hæc omnia latè expli-centur *causa xxvi q. 1. 2. 4. & 5.* illud castrum subjungemus, quomodo scelus istud puniatur: quod non solum creatori infert contumeliam, honorem ipsius dæmoni attribuendo, sed ut plurimum alia delicta graviora, velut hæresin, Apostasiam, blasphemiam, homicidium, & concubitum nefandum conjuncta habet: ita ut mirum non sit, si crimen hoc mixti fori tam Juxta laicus quàm Ecclesiasticus inflecteretur. Et quidem cum laicus utatur contra sortilegos igne, gladio, & deportatione, *l. 1. l. Nullus l. Multi C. De malis. & mathemat.* Ecclesiasticus interdum penis hæreseos, si illa adfit, utitur, interdum excommunicatione, depositione, & vel in monasterium vel in carcerem detrusione, ciborum penuria, corporis cruciatu, *can. Cùm oportet, can. Contra idolorum & mulis alius xxvi q. 5.* ubi non solum sortilegi reprehenduntur, sed omnes, qui ipsos consulunt, aut opem petunt, qui & ipsi contumeliam inferunt religioni, dum & dæmoni & mediis ab ipso inventis fidem habent: quamquam semper minus severè agatur cum illis, qui per curiosam simplicitatem peccant, sic ut pœna ordinaria vertatur in arbitriam, *d. cap. Ex suarum h. t.*

#### IN TIT. XXII. DE COLLUSIONE DETEGENDA.

##### SUMMARI A.

1. Prævaricatio quid.
2. Pœna hujus collusionis.
3. Colludens in causa beneficii privandus beneficio.

Falsariis quoque & sortilegis affines sunt, qui in judiciis colludunt, quatenus nimirum aliud agunt & aliud simulant, sed præcipuè duas collusionis species Pont. hic redarguit: quarum prior est prævaricatio, propriè à varicibus

buc erurum prae nimio labore intumescens, & quae in cessu rectitudinem impediunt, sic appellata, quando nimirum acculator in iudicio in-  
tipe variari, id est transverberari, hoc est, cum  
reo accusato colludere, eisque partes adjuvare,  
dissimulando forte suas probationes, vel alia ra-  
tione officium deferendo, ut reus absolvacur, ac  
iudicium publicum reddatur illusorium, cap. ult.  
§. notandum. 1. quae 3.

1. Poena autem hujus collusionis quae primò in-  
uric infamiam, l. Si in D. De praevaricatorib. statui-  
tur, quod acculator pro auctore iudicis punia-  
tur, l. 2. D. eod. uti & Advocatus, si privatim  
praevaricetur, & ab utraque parte consistat, seu  
tam reo quam actori opem ferat, l. Si patronum  
Cod. De advocatis divers. iudicior. reus verò, quan-  
vis absolutus fuerit, novo iterum iudicio accusa-

ri possit, d. l. Si patronum. & c. In tantum clamor h. e.  
idque contra regulam communem, quae traditur  
in cap. De criminib. sup. De accusat. Ut interim non  
dicamus, quod iudex ex officio possit inchoatam  
semel accusationem ad exitum deducere, quam-  
vis acculator cum reo redierit in gratiam, c. 1. &  
2. h. tit. Covarr. lib. 2. Variar. Resolut. c. 10. ubi late  
explicat, quibus casibus etiam in iudicio semel  
deductum possit iterum tractari.

Posterior verò species sive casus est, quando  
duo Ecclesiastici super beneficio per collusionem  
sibi inveniunt litem, ut ea ratione per auctoritatem  
iudicis vel pensio constituantur, vel mortuo reo  
beneficium in actorem transferatur, quod vi-  
tium, quia nulli dolus prodesse potest, ita puni-  
tur, ut uterque collusor & beneficio & etiam spe  
illud unquam obtinendi privetur, d. c. 3. h. t.

## IN TIT. XXIII. DE DELICTIS PVERORVM.

## SUMMARI A.

1. Septem annis minores non peccant.
2. Nisi malitia suppleat aetatem.

Quod pueri seu infantes, id est, septem an-  
nis minores, utpote rationis usu destituti,  
non peccant, & proinde ob commissam non  
puniantur, ut nec furiosi, definitum est in l. Infans  
D. Ad L. Corn. de sicar. item in l. Divus Marcus D. De  
officio Praef. i. Cod. De falsa moneta, & in cap. Referente  
vers. Vnde quoniam hoc ius ne quidem poena Canoni-  
câ, Clement. Si furiosus De homic. Tales enim quid-  
quid videtur, censetur ignorare: & sicut utrum-  
que excusat inopia rationis, sic furiosum peculia-  
riter mentis exilium & fati infelicitas.

1. Unde hæc decisio patitur exceptionem, si ma-  
litia suppleat aetatem, id est, industria, nempe si

pueros contingat esse doli capaces, quod ex signis  
& iudicis prudentia iudicis maturè colligere  
debet. Nam, ut ait Pont. in cap. 1. h. tit. quamvis  
illa ætas propter impotentiam à vitio carnis sit  
aliena, multis tamen aliis delictis, velut menda-  
cio, furto homicidio potest esse obnoxia. Ideo &  
Jurisconsult. impuberem tunc demùm posse fur-  
rum committere asserit, si doli sit capax, in l. Im-  
puberem 23. D. De furt. Solus enim dolus seu dolosa  
voluntas dat locum delicto & supplicio: quamvis  
interim eo casu pueri & puberes doli capaces non  
tam severè puniantur, d. cap. 1. h. tit. eoque minùs,  
quod etiam puberes sed minores, juxta l. Auk-  
lium §. in delictis D. De minorib. si delinquant, minùs  
puniantur, ut nimirum servetur proportio inter  
dolum & supplicium, prout dolus magis fuerit  
intensus vel remissus.

## IN TIT. XXIV. DE CLERICO VENATORE.

## SUMMARI A.

1. Venatio Clericis cur sit interdicta.
2. Poena Clericis venatoribus qua & quando imponenda.

Prædicta vitia laicis & Clerico fuerunt com-  
munia: nunc quod in laicis non perinde est  
vitiosum, Clerico interdicitur, ne canes & ac-  
cipitres ad venandum alant. Quamvis enim ve-

natio actus sit indifferens, magnum tamen pieta-  
tis est avocamentum, & nimis lubrica, quam ut  
Clero conveniat, qui Senatam Ecclesiæ repræ-  
sentat. † Ac proinde si hac voluptate agitetur  
sive Episcopus, sive inferior Ecclesiasticus, sal-  
tem ad tempus ab omni officio suspenditur, cap. 1.  
& 2. h. tit. si tamen sapius in hac voluptate de-  
tentus fuerit, quasi Clericis hoc vitio verti non  
debeat, si non solum necessitatis gratiâ, ut victum



querant aut bestias nocentes interficiant, *arg. cap. Numquam dist. 5.* sed etiam recreationis causa, aut, ut sanitatem recuperent & acuat appetitus, *arg. cap. Dilectus filius, ubi similis actus dicitur non illicitus, sup. De homicidio.* venari cupiant, si modò id debito tempore fiat sine clamore & modestè. Cujus

rationem jam ferè dedimus, quòd venatio sit res velut indifferens, ideoque ratione circumstantiarum, id est, personæ, causæ finalis, temporis & modi reddatur licita vel illicita. Archid. & alii *can. Qui venatoribus 86, dist. Videatur Concil. Trident. cap. 12, Sess. 24, De reform.*

## IN TIT. XXV. DE CLERICO PERCVSSORE.

**N**ihil minùs etiam convenit Ecclesiasticis, quàm ut sint percussores seu proni ad verbera manum non abstineant: proinde si correpti non desistant, non solum vulgares Clerici ab officio deponuntur, *cap. 1, h. tit.* sed etiam Episcopus, cujus jussu scævina quædam crudelius, quàm par est, verberibus fuit excepta, à divinis suspenditur, *cap. 2, h. t.* Decet enim ut Clerici præ cæteris hominibus sint mansueti, juxta illud

Pontificis, *Pastores facti sumus, non percussores.* Plus proinde erga corripiendos operetur benevolentia, quàm severitas, plus blandimentum, quàm asperitas, *can. Quod autem can. Licet 45, dist. 1. Afserit interim Pont. in cap. 1. & 4, h. tit.* quòd Clericus ut homicida puniri non debeat, si pro repellenda violentia in conflictu quidem fuerit, sed ipse neminem læserit.

## IN TIT. XXVI. DE MALEDICIS.

## SUMMARI A.

1. *Blasphemus quis dicatur.*
2. *Derisio qua.* 3.
4. *Detraçtio.* 5. *Convitium.*
6. *Improperium.* 7. *Sufurratio.*

**N**on solum qui manu vel telo quempiam percutit, injuriam infert, sed magis ille, qui linguâ, juxta illud Sapientis, *Plaga virga inducit livorem sed plaga lingua frangit ossa.* Virtutum sanè, quod ut maximè repugnat mansuetudini in Clero requisitæ, ita varios habet & modos & species, nempe blasphemiam, derisionem, contumeliam, improperium, detractionem & sufurrationem.

- 1 Blasphemus ille est, qui (quod absit) maledicit Deo, aut etiam Sanctis ejus, sive illud faciat ipsius bonitati aliquid detrahendo, sive aliquid, quod in ipso nõ est, attribuendo sive imprecando, vel aliâ ratione: cujus delicti gravis admodum pœna statuitur in *c. 2, h. t.*
- 2 Atque ut alias species, quarum diversitas à modo & à fine potissimum dependet, obiter persequamur, Derisio tunc est, quando quis malum culpæ vel pœnæ objicit, eo nimirum animo, ut proximum contristet ac erubescere faciat.
- 3 Contumelia verò, quando quis palam & in facie culpam objicit, ut honor ipsius ac reverentia

debita auferatur vel diminuatur, *l. 1, D. De injuria.*

Detraçtio, cui & murmur affine, est, quando hoc ipsum sit secretò, ut fama absentis lædatur, veluti si dicat esse furem.

Convitium est, dum quis vel culpam objicit, vel alium naturæ defectum, à quo tamen nec laudamur, nec vituperamur, veluti si dicat esse cæcum aut gibbosum, *l. Si non convitii C. De injuria.*

Improperium est, quando quis verbo vel etiam signo objicit alicui egestatem, maximè beneficium tempore necessitatis impensum, juxta illud Terentii, *istac commemoratio est quasi exprobratio in memoriam beneficii.*

Denique Sufurratio est, dum malum vel defectus objicitur, ut lædatur amicitia, & introducatur discordia. Quæ sanè omnia maledicta sive opprobria, si fiant inordinatè & animò lædendi, pro varietate circumstantiarum & excessu in modo vel mortalia vel venialia peccata sunt, quæ non solum reddunt auctores suos obnoxios restitutioni, sed etiam in foro exteriori nunc acrius nuncitiùs puniuntur, sicut in *c. 1, h. t.* qui perulanti linguâ maledicit Pontifici, arbitrio Ordinaris acriter castigatur. Quamquam ab hoc delicto excusentur Superiores, qui vitia seu culpam objiciunt correctionis causâ, non ut lædant: quibus interim illud Ciceronis *lib. 1, de Offic.* in mentem venire debet, quòd omnis animadversio & castigatio contumeliâ vitare debeat.

IN TIT.

IN TIT. XXVII. DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO,  
VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

## SUMMARIÆ.

1. Clericus excommunicatus ministrans qualiter puniatur.
2. Et quid si minori tantum excommunicationi sit obnoxius.

**A**rguuntur deinceps vitia, quæ Clerici peculiariter committunt circa sacros ordines & eorum ministeria: ut si quis Clericus, sciens nam si id ignoranter agat, & non sit crassa vel supina & erronea ignorantia, sed probabilis, minus est periculi, *c. Apostolica 9. & cap. illud 5. hoc tit. juxta illud, Misericordiam merui, quia ignorans feci* se censura aliqua Ecclesiastica sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti implicatum esse, manus sui Ordinis, quo iniunctus est, præsumat exequi, irregularitatis poenam incurrit, *cap. Medicinalis De sent. excommunic. lib. 6. d. c. Apostolica, Gloss. in cap. Clerici 3. ad V. moniti hoc tit.* Quinimodò excommunicatus, si pergat rem divinam facere, & ab officio deponitur & bene-

ficio, *d. cap. Clerici d. c. Fratemitatis, d. cap. Illud hoc tit.* ubi punitur, qui per solum tumorem acceperat se à superiori fuisse excommunicatum. Porro si ne sic quidem monitus desistat, modis omnibus excommunicatus curia seculari traditur, ut vadat in exilium, *cap. Si quis presbyter 2. hoc tit. †* Sed prædicta accipienda sunt de majori excommunicatione: nam si tale quid faciat, qui minori tantum est obnoxius, & quam mortale peccatum secum adducit, licet graviter peccet, ut textus ait, nullius tamen irregularitatis notam incurrit, *cap. Si celebrat fin. hoc tit.* Ratio diversitatis, quod minor excommunicatio, quam vis reddat quempiam incapacem Sacramentorum, non efficiat tamen idoneum ministrum. Et hoc est, quod ait Pont. in *c. Quasitum sup. De cohabit. Cleric. & mulier.* quod mortaliter peccantes, ut fornicarii, quamvis quoad seipsos, non tamen quoad alios sint suspensi, quibus ob id Sacramenta possunt administrare, nisi peccatum penitus sit notorium, sive per sententiam, sive per confessionem, sive per rei evidentiam, ut jam non sit locus tergiversationi.

IN TIT. XXVIII. DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

Canif. lib. 1. tit. 7. §. 20.

**P**eccant etiam illi, qui ordinis alicujus ministerium audent exercere, quo non sunt insigniti: ut si simplici tonsurâ, qui primus est Clericorum character, *cap. fin. De Clerico conjug. vel minoribus ordinibus tantum imbutus, functionem Diaconi vel sacerdotis subeat: proinde*

efficitur irregularis, deinde repellitur à susceptione illius ordinis, cujus ministerium interceptum, *cap. 1. & 2. hoc tit.* ubi textus tamen addit, quod misericorditer beneficium ipsi relinquatur, nec cum opprobrio totius ordinis ad secularia cogatur redire.

IN TIT. XXIX. DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

Canif. d. lib. 1. tit. 9.

**P**ari vitio laborat, qui per saltum promovetur, hoc est, prætermisso priori Ordine, vel etiam simplici tonsura, Ordinem suscipit digniorem: ut si Subdiaconus fiat immediatè Sacerdos. Quisquis enim hoc facit, constitutionem Ecclesiæ violat, qua jubetur Clericus non nisi gradatim Ordines suscipere, id est, ut insigniti

tonsura primò fiant Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolyti (quod uno die fieri potest, *c. 2. h. tit. seq.*) deinde Subdiaconi, Diaconi & Sacerdotes, *cap. Illud nos c. In singulis 77. dist.* idque distincto ac præfinito a tatis tempore, *Conc. Trid. Sess. 27. cap. 12. de reform.* corrigens hac in parte antiquos Canones & *Clement. quæ incipit Generalem, De arate*

VIII 3

& qua-

qualit̄ proficiend̄. Quilibet ergo perperam affecta-  
to compendio ad altiores Ordines contendit, &  
quidem si sciens id faciat, ad instar ministri non  
ordinati deponetur, nec ulterius promovebitur:

si vero ignorans & supinè negligens, non nisi  
post peractam pœnitentiam, & suppleto, qui de-  
est, Ordine divinis ministeriis potest operam da-  
re, c. unco hoc tit. Concil. Trid. d. lxxv. c. 14.

### IN TIT. XXX. DE EO QUI FURTIVE ORDINEM SVSCEPIT.

Canil. *ibidem.*

**I**ure cautum est, ut sacri Ordines nemini con-  
ferantur, nisi sedula prius inquisitio de aetate,  
moribus, scientia ipsius sit facta, c. *Cum in cun-*  
*ctis 7. sup. De elect. Clement. Cum Ecclesia De aetate &*  
*qual. proficiend̄* Proinde si quis clam & furtim irre-  
pat, id est, non examinatus, nec admissus, saltem  
ad illum Ordinem, sed sine scitu Episcopi, aut  
etiam contra ipsius præceptum aliis permixtus  
ordinetur, vel etiam si minores Ordines & sub-  
diaconatum uno die suscipiat, c. 2. *hoc tit. c. a. ratio-*  
*ne* punitur, ut Ordinis sic furtim suscepti mini-  
sterium exercere non possit, nisi cæteris paribus,  
post peractam pœnitentiam, & præ viam Episco-

pi dispensationem, c. *Veniens hoc tit.* Qui Episco-  
pus si forte, uti subinde fit, sub pœna excommu-  
nicationis alicui mander, ne hunc aut illum Or-  
dinem hoc vel illo modo suscipiat, & ille, eo non  
obstante, furtivè id faciat, suo facto excommu-  
nicationem incutrens, jam nemo nisi solus Pon-  
tifex dispensabit, cap. 3. *hoc tit.* Nisi fortassis Reli-  
gionem ingrediatur, ubi si piè & sapienter vixe-  
rit, eo casu dispensatio committitur Episcopo, d.  
cap. 3. vel etiam Abbati, qui præest Monasterio, d.  
c. 1. ut aimirum alteruter istorum vel ambobaci-  
ant ei potestatem rebus divinis incumbendi.

### IN TIT. XXXI. DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SVBDITORVM.

#### SUMMARI A.

1. Excessus Prælatorum erga subditos qui.
2. Et contra subditorum erga Prælatos & superiores.

**H**actenus de vitiis, quæ Clero sunt peculia-  
ria & communia: nunc de illis agit, quæ  
Prælati sunt propria. Qui imprimis si sub-  
ditos suos vel alios improbis & immodicis exa-  
ctionibus onerare præsumant, eujuscumque tan-  
dem sint gradus, graviter & ad exemplum terro-  
ris puniuntur, ut ait textus in cap. *Nimis iniqua &*  
*cap. Nimis prava hoc tit.* Quinimò subditis, dum ta-  
le onus petunt, & privilegia violant, liberum est  
illud denegare, cap. *Sanè 5. cap. Cum ad quorundam*  
*7. hoc tit.* ubi sub finem addit textus, quod senten-  
tia excommunicationis nullius sit momenti, per  
quam fortè Prælatus rigidus exactor justè deneg-  
antem studet compellere.

Alium excessum committunt Prælati, si per-  
peram utantur potestate suâ: veluti si beneficia  
sibi comparent vel usurpent, cap. *Ad aures cap. Illud*  
*etiam 6. hoc tit.* & non aliis, ut oportet, eo quod  
inter dantem & accipientem debeat esse diffe-

rentia, cap. *fin sup. De institut.* ipsaque Ecclesia pro  
cultu suo diversos requirat ministros; aut etiam  
si alius quidem conferant, sed personis indignis, r.  
g. homicidæ vel forgeratori publico; quo casu  
collatio debet cassari, actum demùm alteri ido-  
neo beneficium concedi: nam si secus faciat col-  
lator, pro illa vice carebit conferendi potestate,  
cap. *Inter dilectos 11. hoc tit.* Peccant & Prælati, si  
perperam aliena curantes, rebus sese immisceant  
ad se non pertinentibus: veluti si Abbas, vel alius  
inferior, cui hoc speciali privilegio non est con-  
cessum, de matrimonio cognoscere velit, vel  
Ecclesias unire, id est, ex duabus unam facere, in-  
dulgenciam concedere; breviter si illa velit face-  
re: quæ peculiariter ad munus Episcopi spectant,  
c. *Sicut unire 8. cap. Accedentibus 12. hoc tit.* Postremò  
Episcopus deponitur, qui per actum superstitiono-  
sum, id est, iudicium ferri candentis homicidio  
præstitit auctoritatem, c. *Ex literis 10. hoc tit.*

Cæterum ex adversio fit, ut subditi frequenter  
per excessum vel defectum peccent, uti videre  
est in cap. *Gravem 15. in c. Quam sit 9. & in c. Clerici*  
*4. hoc tit.* ubi partim suspenduntur, partim tam-  
quam membra putrida abscinduntur, qui vel con-

tra naturam incontinentes peccant, vel de peccatis suis g. oriantur, vel Episcopus suos per proteritiam superiores agnoscere non volunt. Ita in c. Dilata 14. Clerici objurgantur, qui contra voluntatem superioris collegium seu corpus constituebant, communi sigillo utentes. Sed quia longum foret singula subditorum delicta referre, illud tantum addemus, quod ordinarius Ju-

dex eadem pro qualitate semper punire debeat, idque pro arbitrio, ubi poena legis non est certa, c. Licet 12. cum cap. seq. sup. De officio jud. ordin. etiam si exempti sint, id est, immediate jurisdictioni Pontificis subiecti, quo casu ordinarius tamquam Sedis Apostolicae delegatus vitia ipsorum reprimet Concil. Trident. c. Ecclesiarum Praelati & c. seq. Sess. 6. de reform.

IN TIT. XXXII. DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

Canil. lib. II, tit. 22. §. 5.

SUMMARIA.

1. Nuntiatio novi operis quid.
2. Eius effectus.

Quamquam Episcopus & quilibet Praelatus conditionem Ecclesiae possit facere meliorem, ut ait textus in cap. Fraternalitatem sup. De donationib. quia tamen rerum Ecclesiae, ut ibidem habetur, procurator est, non dominus, tum alibi, tum in construendis aedificiis cavere debet, ne sub praetextu meliorationis damnum inferat, aut pristinam aedificii faciem mutando modum excedat; hoc enim si facere incipiat, Clerus seu Ecclesia novum opus ipsi nuntiabit, id est, nuntiabit, ut cesset aedificare. Nihil enim aliud est nuntiatio novi operis, quam prohibitio aedificandi, ab eo, qui probabiliter jus suum privatum vel publicum laedi putat, solemniter facta, eo sine, ut desistat ab opere, saltem tantisper, donec jus aedificandi fuerit discussum, id est, judicatum, an jure, an injuria aedificet, l. 1. & 4. D. eod. Post quam

denuntiationem (quae secundum leges & per jactum lapilli & per verbalem interpellationem etiam fieri potest, l. De pupillo §. meminisse D. eod.) solemniter factam, id est, publicam Judicis auctoritate, si ab incepto opere non desistat, quidquid deinceps extruxerit suis sumptibus cogitur destruere, etiam si deprehendatur postmodum, quod jure suo aedificaverit.

Sed & est contrarietas temerariae cujusque contradictione opus suspendatur, jubetur ipse denuntians spatio trium mensium injuriam sibi vel Reip. per novum opus illatam vel inferendam probare, l. unica C. eod. c. 1. & ult. hoc tit. Alioquin si plus temporis petat, poterit aedificans, praestita cautione pro sumptibus ad opus demolendum necessarius, casu quo non jure inchoatum deprehendatur, audacter pergere sine praedicta poena demolitionis, d. l. unica & cap. Significantibus 3. hoc tit. Quam poenam sine cautione incurrit, partim quia pertinax fuit, dum Judici noluit obedire, partim quia turbavit viciniam, quod est noxium Reipublicae.

IN TIT. XXXIII. DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBVS PRIVILEGIATORVM.

SUMMARIA.

1. Privilegium quid.
2. Concessio privilegii à jure exorbitantis quomodo justa
3. Privilegium extra concessionis limites extendi non debet.
4. Ratio concessi privilegii in primis inspicienda & ponderanda.
5. Privilegium quis concedat.
6. Privilegium quotuplex.
7. Privilegium persona quid.
8. Privilegium causa.
9. Rei.
10. Quanam legitimum reddant privilegium.
11. Qui & ex quibus causis delinquere dicantur circa privilegia.

12. Pri-

12. Privilegia qualiter interpretanda.

13. Privilegium amittitur abusu & per non usum seu praescriptione.

**P**ostremo tam Praelati quam subditi non raro committunt delicta in suis privilegiis, quae ut palam evadant, obiter praemittimus, quid privilegium sit & quotuplex.

1. *Privilegium*, ut nomen indicat, lex privata dici potest, seu *ius singulare à Superiore alicui certa ratione & legitime concessum* *Ius*, inquam, id est, iusta quadam indulgentia aliquid faciendi, vel non faciendi. Iusta autem esse debet haec concessio; nam si v.g. tyrannus quippiam contra jus naturae vel divinum quippiam velit concedere, non privilegium erit, sed eversio Reipublicae, *l. ult. C. Si contra jus vel utilit. publ. § Sed quomodo*, dices, potest esse iusta, cum ab ipso jure exorbitet? Exorbitat quidem, sed, inspectis circumstantiis, non sine specie, si ratione; ac proinde ab ipso jure communi interpretationem accipit. Exemplo res fiet clarior. Commune praecipuum & omnibus positum est, ut unusquisque pacta servet, fidemque pro se vel alius interpositam liberet: & tamen legislator considerans infirmitatem sexus in femina, rationis impotentiam in minoribus, illius generis homines ab illo praecipuo exemit, si vel contrahant, vel fidejubeant, tamquam male sub eo comprehensos, & proinde privilegio, id est, privato jure eos donavit.

2. *Singulare*: quod ob id nec ad alias res, quam de quibus actum est, *c. Porro 17. sub fin. hoc tit.* nec ad alias personas, quam quibus concessum est, extendi debet, etiam si fortassis vel par vel major esset ratio. Nec enim sola identitas rationis, sed auctoritas superioris, dum eam expendit, inducit privilegium, *c. Sanè 9. hoc tit.* Et proinde subortâ controversiâ instrumentum privilegii diligenter debet examinari, *d. cap. Porro & c. Recepimus 8. h. tit.*

3. *Certa ratione*, id est, iusta de causa. Nam id ipsum textus disertè requirit, ut non nisi certâ ratione quispiam à communi praecipuo eximatur. Proinde superiores sibi cavere debent à vicio exceptionis personarum: sed si privilegium tale sit, quod à gratia dependet, tum eximendorum merita ponderanda sunt; si verò à justitia, tum, ne quis laedatur, necessitatem aut certè utilitatem publicam inspicere oportet, quod ipsorum conscientiae relinquatur, & ipsi viderint, *can. Ideo permittente § si quid ergò xxv. quest. 1.*

4. *A Superiore*; sive Pontifex ille sit, qui de jure, ut ait textus, supra jus potest dispensare, *in c. Propo-*

*suit sup. De concess. praebend. sive alius inferior, veluti Episcopus, qui & in Synodo provinciali statuta, Canonis institutis non contraria, potest condere, ac proinde etiam super iisdem dispensare, c. Cum inferior sup. De majorit. & obed.*

*Alicui*; sive personae, sive causae, sive rei. Nam, ut varias aliorum divisiones omittamus, qui verbis sic satis abstrusis adferunt privilegium aliud singulariter concessum, aliud corporatè, aliud mixtum, aliud nescitur quo modo; haec divisio videtur magis expedita, juxta illud Modestini, *in l. Privilegia alia sunt causa, alia persona D. eod.* quibus jam addimus, quòd aliud sit reale.

*Privilegium personae* vocamus, quod proximam concessionis causam à personis habet, quarum merita, conditio, vel qualitas exemptionem requirunt, sive interim nominatim exprimantur, ut Sempronius, quia optimè meritis de Republ. ab excubiis liber esto; sive communiter, & cum expressione qualitatis, quo modo, Feminis, Minoribus, Professoribus, item Clero & ordinibus Religiosorum, etiam aliter nominibus ipsorum non expressis, data sunt privilegia.

*Privilegium causae* est, quod certae causae, id est, actionum generi tribuitur, veluti causae dotali, matrimonii, Fiscii, decimarum atque etiam funeris, in eo a mirum, quòd ceteris actionibus seu persecutionibus praefertantur, non quidem ob qualitate personarum quae agunt, sed quod natura actionis hoc mereatur; verbi gratia, quòd quis impensas funeris ante omnia credita recuperet, id humanitatis ratio postulat, ne defunctorum corpora negligantur & insepulta jaceant, *l. At si D. De religiosis ac sumptib. funer.*

Denique privilegium rei est, seu in rem constitutum, quod alicui dignitati, corpori, civitati, universitati seu collegio conceditur; quorum quaedam talia sunt, ut illis non nisi ipsum corpus seu universitas sese possit juvare, *l. Sed & c. si. qui manu mittitur D. De in jus vocan.* ubi jure manumittendi non singuli, sed totum corpus utitur, ac proinde manumissus non singulorum, sed universitatis libertus vocatur; quaedam verò talia, ut singuli de gremio, nisi quid obstat, illis uti possunt, *c. Per exemptionem 9. vers. verum hoc tit. in 6.* Qualia sunt etiam privilegia nostrae Universitatis, quae ob id respectu corporis realia sunt, sed intuitu singulorum personalia dici possunt.

*Legitimè*, id est, in primis ab eo, qui potestatem habet, deinde in re, quam in potestate habet. Denique legitima erit indulgentia, si per instrumentum

rum publicum omnibus membris seu clausulis absolutum, ipsamque concessionem præcisè continens, concipiatur, *c. Recepimus 8, cap. Cum olim 12, c. Ex parte 13, h. t. c. Si Papa 10, eod. t. lib. 6.*

*Concessum*, si ve intuitu meritorum, ex gratia, sicuti dictum est, si ve pro qualitate rerum vel personarum, postulante justitiâ.

His jam ita positis, facile conspicitur quam variè delinquere possint, qui gaudent privilegiis. Quid enim, si exempti ratione loci, vel rei, seipso velint eximere ratione alterius aut loci aut rei? *Cum capella 16, h. t.* Neque enim v. g. si Monasterium sit exemptum, tenore ejusdem privilegiis statim & capellæ eidem subjactæ censentur exemptæ, nisi in instrumento disertè id exprimat, *c. Exere 17, h. t.* Sic etiam si Monasterio concessum sit, ut religio ab ordinario Episcopo non excommunicentur, id tantummodò accipiendum est de Religiosis, qui vel in ipso Monasterio degunt, vel saltem ipsi subjiuntur quoad spiritualia & temporalia, *c. Quoniam per confessionem 21, h. t.* Ex eodem fonte est, quòd, si Monasterio sit concessum, ut vel tempore interdicti suos defunctos sepeliat, id ipsum accipiat tantummodò de confratribus, qui suscepto habitu se totos religioni dederunt, *cap. Vi privilegia 24, h. t.*

Breviter, sicut privilegium aliquibus justa de causa concessum temerè à quoquam non debet infringi, ne quidem indirectè, ut ait Pont. inc.

*Quanto amplius 26, h. t.* nec peversâ aut quæsitâ interpretatione ita restringi, ut privilegiatis efficiatur inutile, *c. In his quæ ad cultum 30, h. t.* sic vicissim illi, quibus illud concessum est, non debent nimis laxè privilegium interpretari, tamquam si aliquid contra vel præter mentem concedentis possit operari.

Pæna autem eorum, qui excedunt, seu qui privilegiis suis abutuntur, vel etiam aliorum privilegiis derogare student, exprimitur in *cap. Dilecti 4, in cap. Vi privilegia 24, h. t.* illis verbis, *Privilegium meretur amittere, qui permissis sibi abutitur potestate.* Ut interim non addamus, quòd præscriptione quadraginta annorum tollantur etiam privilegia, nempe per non usum, et si privilegiati patiantur in aliis contra se juris usurpationem, text. est in *c. Accedentibus 15, h. t.* qui ea in parte corrigit textum in *cap. Si de terra 6, hoc tit.* quatenus ille tantummodò de triginta annis facit mentionem: si quidem hoc regulare nunc est, quòd juri Ecclesiastico non nisi quadraginta annorum præscriptione quippiam derogetur, *cap. 4, sup. De præscriptionib.* Cæterum quòd superioris auctoritas, præsertim si metuat. Ecclesiasticæ disciplinæ dissolutionem, privilegia possit revocare, per se notum est, & patet in Conc. Trid. *Sess. 7, c. 14, & Sess. 24, cap. 11,* aliisque locis, ubi Ordinarius seu Episcopus facit potestatem puniendi etiam exemptos tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, quoties agitur de morum correctione.

## IN TIT. XXXIV. DE PURGATIONE CANONICA.

Canif. lib. IV. tit. 20.

## SUMMARI A.

1. *Judicis officium, si crimen sufficienter probari non possit.*
2. *Purgationis Canonica modus & forma.*
3. *Effectus ejusdem.*

**P**rimum caput hujus libri criminales instituebat actiones, secundum crimina proponebat, restat nunc tertium, in quo modus crimina puniendi ponitur. Sed quoniam pæna pro delictis non potest infligi, nisi concurrant probationes sole meridiano, ut ait Imp. clariores, *l. ult. C. De probationib.* in primis hic ostendit Pont. quid Judicis faciendum sit, si crimen sufficienter

probari non possit. Neque enim eo casu statim & semper absolvendus est reus, sed interdum vel ob solam adversarii importunitatem, *c. Cum injurventute 12, §. interdum h. t.* vel ut plurimum si infamiâ apud graves viros laboret, reo indicitur canonica purgatio, *cap. Nobilis cap. Menales 3, cap. Quoties 5, h. t.* Quinimò si gravius sit delictum, & monitus occasionem non devitet, quæ reddidit illum suspectum, tantisper poterit suspendi ab officio vel beneficio, donec canonicè sese purgaverit, si ve interim laicus sit, *d. cap. Nobilis & cap. Nos inter 6, h. t.* si ve Clericus, *d. cap. Quoties,* ubi simul explicatur modus & forma canonice purgationis, in eoferè consistens, quòd in primis ipse reus jurare debeat, se crimen objectum non

commisisse, *cap. Accepimus ult. h. tit.* Deinde cum  
sefe purgare; ejus rei definitio prudentiæ Ju-  
dicis committitur, compurgatores tot, inquam,  
quot Judici videbitur, honestæ vitæ ac boni ho-  
minis, de nullo crimine condemnatos vel suspec-  
ctos, eoque familiariter notos, adhibere debet,  
*cap. Cùm P. Manconella 7, cap. Constitutus 9, & C. Cum  
dilectus 1, h. tit.* qui omnes præstant juramentum,  
non veritatis, ut ipse reus, sed creditatis, ut vo-  
cant, id est, non jurant, quod reus crimen non  
commiserit; qui enim id facere possent? sed se  
credere, reum sefe purgantem veritatem jurasse,  
seu virum talem esse, qui nollit falsum jurare, *d.  
3 cap. Quæritur & cap. De testibus 13, h. tit.* \* Hoc enim

si faciant, effectus canonicæ purgationis in eo  
versatur, ut jam reus absolvi debeat & ab infam-  
ia & à criminis suspitione, quibus laborabat,  
*cap. Ex tuarum 8, sub fin.* Et ibi præter ceteros Panor-  
mit. *h. tit.* Cæterum si in purgatione deficiat, id  
est, si vel ipse jurare non audeat, vel jurare qui-  
dem paratus sit, sed justo & præscripto numero  
compurgatores adhibere non possit, tanquam  
de crimine convictus habetur, pro qualitate deli-  
cti puniendus (quamquam, ut id obiter dica-  
mus, canonicæ purgationis hodie rarior sit usus)  
*c. Inter sollicitudines 10, in verbis, quod si forsan in  
purgatione defecerit, ab officio & beneficio depositum ad  
agendam penitentiam in arcum monasterium distude-  
re, non omittat, h. tit.*

## IN TIT. XXXV. DE VVLGARI PURGATIONE.

Canil. d. lib. IV. tit. 20.

## SUMMARI A.

1. Purgatio vulgaris quibus olim modis & qualiter fieri solet.
2. Merito eam Canones damnant.
3. Quis si aliter crimina detegi non possint?
4. Monomachia Davidis cum Goliath: species quadam vulgaris purgationis an olim tolerata.

**A** Lind purgandi genus olim in usu fuit, sed  
quod vulgus erroneum seu superstitio-  
sum introduxerat, diversis etiam modis,  
nempe per duellum seu monomachiam, per ferri  
candentis attractionem, per haustum aquæ  
ferventis, denique per immersionem in aquam  
frigidam: x quorum omnium prospero, vel si-  
nistro eventu, judicabant quempiam justum esse  
vel injustum, criminis occulto, quod per testes  
vel aliâ ratione probari non poterat, obnoxium,  
vel innocentem; verbi gratiâ, si controversia erat  
de finibus seu rerum possessione, Nobiles ut plu-  
rimum ad singulare certamen sefe provocabant,  
eo fine, ut illius causa haberetur injusta, qui cer-  
tando cecidisset, *cap. 1, & 2, h. tit.* Item si cui cri-  
men objectum fuisset probatu difficile, propone-  
batur ei aut ferrum candens, aut aqua ebulli-  
ens, ad cujus attractionem si adustus fuisset, jam pu-  
nicbatur ut reus criminis, *c. fin. h. t.* \* Hosce sanè  
& id genus alio purgandi modos sub pæna mor-  
talis delicti passim damnant sacri Canones, velut  
locis jam citatis, & in can. Meniam & can. Consulisti

11, quasi 5, *cap. Sententiam sup. Ne Clerici vel monachi,*  
ibi, nec quisquam purgationis aqua ferventis vel frigida  
seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis aut  
consecrationis impendat, salvis nihilominus prohibenti-  
bus de monomachis sive de duellis: quibus accellit  
etiam novissime Concil. Trid. *cap. 19, Sess. 25, de  
reform. & merito,* cum neque naturali ratione ne-  
que divinarum literarum auctoritate nitantur,  
quia scilicet nec Deus, nec natura hujusmodi  
media destinavit ad effectum illum producen-  
dum: & proinde qui talibus observationibus, ar-  
te demonum humano generi suggestis, utitur  
superstitiosus est ac Deum tentat, tamquam si  
Deus illis adstrictus, velut edito miraculo, ve-  
ritatem atque innocentiam debeat aperire: id  
quod tantum abest, ut sæpè permittat etiam in-  
nocentes cadere, vel aduri, præsertim aliis pec-  
catis concurrentibus, ut ait textus in *cap. Signifi-  
cantibus 2, h. tit.* ubi Pont. asserit sententias esse  
nullius momenti, quæ vigore hujusmodi purga-  
tionum à Judicibus sunt factæ: item in *cap. Ex lit-  
ris sup. de excessib. Pralat.* ubi Episcopus ab Episco-  
pato dejectus fuit, qui per iudicium ferri can-  
dentis causam dederat homicidio, cui & inter-  
esse volebat, tanquam altaris ministerio indi-  
gous.

At dices, quid si aliter crimina non possint de-  
tegi, quæ ob tranquillitatem Reipubl. non decet  
manere impunita? Sed cum ut, ait Jurisf. latius  
sit, nocentem dimittere, quam innocentem con-  
demnare, l. Absentem D. De panis, pupilio occul-  
torum

regem delictorum relinquenda est Deo, d. can. *Coniulisti occultis, c. Dilectus filius sup De excessib. Pralat.* ubi superior majorem in modum redarguitur, qui ut illud punire posset, & rem ablataam domino restituere, presbyterum inferiorem cogere volebat, ut occultum furtum, quod in foro conscientiae & sub sigillo exceperat non ut homo, sed ad Deum manifestaret.

Verum quidem est, quod Rex David cum gigante singulari eoramen suscepit, can. *Monomachiam* 11, qu. 1, *Glos. ad d. cap. 1, in V. tolerare h. t.* sed hoc instinctu Dei factum est, qui olim etiam ut libellum repudii Judaeis induisit, propter cordis duriciam, ita aquam, ut vocatur, zelotypiae muli-

eribus eorumdem tunc eporis, si suspecta fuissent, propinari voluit, cujus haultu, si maritos deceperant, putrefacto femore uterus rumpebatur, uti ad longum refert Gratianus can. *In libro namque Numeror 11, qu. 1, Denique & illud verum est, quod eadem quae sit. textus in can. Nobilis in can. Sapè contingit & trib. sequent.* videatur quasdam species seu vulgaris purgationis formas tolerare; sed antiquae istae constitutiones tamquam palea contrariis & recentioribus correctae sunt ac revocatae, sicut praeter ceteros ad d. can. *Sapè contingit* testatur ac docet Joan. de Turrecremata.

## IN TIT. XXXVI. DE INJURIIS ET DAMNO DATO.

Canif. lib. III. tit. 20, §. 2. & seqq.

## SUMMARI A.

1. Ratio continuationis.
2. Injuriam quolibet modo inferens, praeter poenam, tenetur ad restitutionem.
3. Occasionem damni dans damnus dedisse videtur.
4. Restitutio damni ex qualibet lesione seu injuria facienda.
5. Injuria inferitur bonis vel anima, vel corporis, vel fama & honoris, vel fortuna.
6. Injuriam primo ordini sive bonae animae quinam inferre dicantur, & obligentur ad restitutionem.
7. Quinam reliquis ordinis sive bonis corporis, fama, fortune.
8. Restituenda in primis fama & bonor.
9. Ad restitutionem fama quando quis non tenetur.
10. Obligatio restitutionis an transeat ad haeredes.

**T**itulus iste pertinere videtur ad tractatum de criminibus & delictis, & quidem primo loco ponendus; cum omnis delinquens injuriam vel damnus inferat aut Deo, aut sibi, aut Republicae, aut proximo, aut etiam, si blasphemus sit, sanctis Dei. Cur tamen sub hoc capite ponatur, ratio probabilis dari potest, ut Jure reddatur memor, quod in corrigendis delictis non solum ad poenam publicam respicere debeat, quae nimirum ad exemplum aliorum, & ut Republicae satisfiat, infligitur, sed etiam laborare, ut injuriae ac damnus illis reparetur; qui privatim sunt laesi. Quisquis enim aut per se aut

per alium injuriam intulit, sive verbalis illa sit sive realis, praeterquam quod peccet & poenis sit obnoxius, ad illius reparationem, seu, ut vocant, restitutionem obligatur, juxta illud Pontificis in cap. ult. h. t. *Si culpatus datum est damnus, vel injuria irrogata, seu alius irrogantibus opem sortem tulisti, aut hac imperitia tua sive negligentia evenerunt, iure super his satis facere te oportet* ubi sub finem & illud addit. quod qui occasionem damni dat damnus videatur dedisse cujus axiomatis vim & rationem explicat *Glos. in cap. De cetero ad V. dedisse sup. De homicidio: item textus & Glos. ad V. adulterio in cap. Sicut nobis sup. De testib. ubi testes puniuntur, qui falsis testimonii dederant causam divorcio & adulterio, muneribus nimirum subornati* Ceterum cum praedictus textus in d. cap. ult. tam generatim loquatur & indistinctè, manifestè colligitur, quod pro varietate rerum, circa quas delicta versantur, variis etiam modis fiat laesio, & per consequens restitutio, id quod ex professo explicat Navarr. in *Enchiridio cap. 17 num. 6, 7, 8, & aliquot seqq.* idque in tractatu illius praecipi, *Non furtum facies*, eo quod non solum contra illud peccet, qui rapit alienum, sed etiam qui rem alteri restituendam detinet, veluti rectius possessor, qui eam à non domino scienter accepit, can. *Seres xiv. qu. 6, cap. Sapè vers. non multum interest, alienum in vadere, & injustè detinere, sup. De restitut. spoliar.*

Sed ut hic juris articulus magis innotescat, quoniam rerum seu bonorum quatuor aut quinque velut sunt ordines; bonum animae, ut scientiae,



res spirituales, & his annexæ: bonum corporis, ut vita & sanitas; bonum honoris ac famæ; denique bona fortunæ, seu res familiaris: † in primis graviter delinquent, qui injuriam inferunt primo ordini, id est, qui præsertim vi vel dolo malo seu fraudulento consilio quempiam à voto, ab ingressu Religionis, aliisque spiritualibus operibus divertunt: qui falsam doctrinam seu scientiam, sive interim supernaturalis illa sit, sive industriâ acquisita, profitentur atque emittunt; aut etiam veram, sed, si ex officio hoc incumbat, segniter & non sedulo profitentur, concionantur, Sacramenta administrant. Proinde & astrologi, dum sub prætextu veræ artis aut religionis superstitionem profitentur vel exercent, veluti dum per chiromantiam seu lineas è manu descriptas, aliasque divinationis species, vitæ successum atque exitum, aliosque occultos effectus prædicant; dum per astrolabium non cæli motus & affectiones, quod est licitum, sed occulta furta & adulteria conantur detegere, idque arte mendacis dæmonis, & frequenter cum infamia proximi innocentis, *cap. Ex taurum sup. De sortileg.* ubi ob illud delictum Presbyter quidam valde malè audit apud Pontificem; denique quod peius est, dum per incantationes & sacra verba barbaris permixta calamitatem hominibus & ipsorum fortunis inferunt. Hi omnes, uti dictum est, & graviter delinquent, & restituere coguntur non solum bonum spirituale, revocando nimirum errorem, sedulo contrarium suadendo, Deam etiam orando, ut emendet eos, quibus impositum, sed etiam damnum temporale reparare debent, imò lucrum, si quod perceperunt, reddere, juxta illud Gratiani in *can. Qui habetis xiv. qu. 5. Ex malo, inquit, requiritur, quod ex turpi causa possidetur: veluti cum Mathematicus ex arte, quam docet, vel ex futuris, quæ præannuntiat, nonnulla lucratur, quæ restituere debet.* Aliud sanè dicendum, si quis medicinam aut aliam laudabilem scientiam exerceat, etiam si effectus non sequatur: nam lucrum erit justum, si modò diligens fuerit, & ut ait textus, de contingentibus nihil omiserit, in *d. cap. ut sub finem hoc tit. & in l. Qui occidit s. in hac d. Ad L. Aquil.* Pari ratione qui pecuniam seu pretium pro rebus spiritualibus vel ipsis annexis accipiunt, & puniuntur, & ad restitutionem tenentur, *1000 tit. sup. de simonia & signantur in cap. Veniens vers. Abbatem ad restituendam pecuniam compellatis.* Deinde ut omittamus eos, qui segnius officium exercent, ac preces horarias omittunt, pri-

vantes per hoc Ecclesiam debitis suffragiis. Prælati valde peccant ac restitutioni se reddunt obnoxios, qui semoto digniori indignis aut minus dignis beneficia Ecclesiastica, maxime illa, quibus animarum cura annectitur, conferunt, *can. Licet ergo viii. qu. 1. can. Metropolitanus 633. dist.* ubi textus disertè asserit, quòd qui doctior est, qui virtute eminet, & optimus est ex Presbyteris, debeat eligi: item in *cap. unico sup. Vt Ecclesiasti. beneficia sine diminut. cons. debuisti,* inquit Pont. Ecclesiasticum beneficium in personam magis idoneam dispensare. Cujus rei datur ratio, quòd qui secus facit, vitio acceptionis personarum laborans, vitiolet justitiam distributivam, quæ saltem ex intentione Ecclesiæ, & eorum, qui bona reliquerunt, requirit, ut hujusmodi beneficia tamquam virtutis præmia dignioribus concedantur, præsertim ut avertatur malum & damnum, quod potest evenire, si indignus vel minus dignus præferatur.

Nunc ut ad reliquos honorum ordines descendamus, Per se satis id notum est, quòd qui seipsum vel alios indebito modo aut occidit aut mutilat, teneatur ad reparationem damni, sive Reipubl. sive proximo illari: ut v.g. si falsum dicens testimonium in causa fuit, cur innocens condemnatur, tenetur etiam cum jactura propriæ vitæ eundem liberare. \* Item qui contumeliâ vel detractione alterius læsit famam vel honorem, etiam cum jactura sui honoris alteri satisfacere tenetur, sive veniam ab illo petendo, sive honorem debitum exhibendo, sive dicta sua & facta coram ipsis, apud quos illum læsit, retractando. Nam si omne damnum, quod quis in bonis quarti ordinis sive re familiari, perfurtum, & rapinam, per usuram & incendium, breviter per quodcumque delictum intulit, idque sive per se, *cap. 1. 2. & 6. h. tit.* sive per alium, cui opem tulit, imò per animal malè custoditum, *cap. Si vos cap. Si læserit cap. Si culpa tua vers. quod si animalia h. tit. l. 1. D. Si quadrupes paup. secisse dic.* quanto magis, ut ait & probat Navar. in *Enchirid. cap. 18. num. 42.* restituere tenetur honorem ac famam, quæ, ut ait Sapiens, multis thesauris & divitiis est præstantior; cujus damnum, teste Livio, majus est, quàm ut pretio aestimeretur; cuius jactura serpit ut cancer apud homines ut plurimum pronoiores ad credenda mala. \* Quibus tamen si retractando, virtutes læsi prædicando, si asserendo vel etiam jurando se falsum dixisse, sinistram & semel jam conceptam opinionem eripe-

eripere non potest, conqueſcet, nec tenetur vitæ periculum pro fama reſtituenda ſubire Nam, ut rectè aſſerunt ſcriptores noſtri, ſicut res neceſſario reſtitui debet cum jactura rei ejusdem ordinis, ut ſi quis me auctore injuſtè occidendus eſt, cum detrimento vitæ meæ; ſi meâ cauſâ patitur infamiam cum diſpendio honoris mei; ſi per me læſus in bono familiari cum amiſſione pecuniæ: ita res inferioris ordinis cum jactura rei boni ſuperioris ordinis reſtitui non debet, veluti pecunia cum detrimento famæ, fama cum detrimento vitæ, id quæ propter maximam proportionis diſtantiã, cum vita honorem, honor pecuniam, in æſtimabili modo excedat. Et proinde textus elegans, qui ad horum omnium probationem ſufficere poteſt, in *cap. Officii inf. De pœnitent. & remiſſ.* mulierem, quæ partum alienum ſibi ſupponit, per hoc verum hæredem patrimonii ſpolians; liberat à neceſſitate reſtitutionis, ſi illam facere non poterit ſine jactura famæ, aut mortis periculo, quæ ipſi forè incumbant, ſi erimen marito detegat; tamquam ſi manifeſtè dicat Pontifex, hæreditatem bonorum eſſe vilioſam, quàm ut cum jactura honoris reſtitui debeat. Eadem erit ratio honoris, ſi referatur ad

vitam; & vitæ, ſi ad ſalutem animæ. Quamquam bene ex adverſo res ſuperior reſtitui poſſit per rem inferioris ordinis, ut vita cum jactura honoris, honor cum jactura pecuniarum.

Sed jam illud poſtremò quæſitum ſuit, utrum obligatio reſtitutionis tranſeat ad hæredem? Quia in re diſtinguendum eſt inter obligationem delicti & damni temporalis illari: nam ſi delictum reſpicias, ſeu pœnalem & criminis actionem, pœna, ut ait Imp. tantummodò premit ſuum auctorem, in *l. Sancimus C. De panis*, ſive interim factò læſerit, ſive linguâ. Cæterum quòd hæres ſaltem teneatur damnum in rebus fortunæ illatum reſarcire, textus aſſerit in *cap. Tu nos ſup. De uſuris, item in cap. Ex lueris ſup. De raptorib. & quidem Jure Pontificio, etiam ſi tale delictum ſit velut, incendium vel homicidium, ex quo nihil commodi ad hæredem pervenit, text. eſt in *cap. ſin. ſup. De ſepult.* cum interim jure civili hæres non aliter teneatur, quàm ſi aut aliquid commodi acceperit, aut lis cum defuncto jam fuerit conteſtata, id quod per *l. 1. C. De delictis defunctor.* Gloſ. probat in *d. cap. ſin. ad V. hæredes*, quam & Covarr. latè explicat in *Varis reſolut. lib. 3. cap. 3. n. 7.* diſputans de hæredibus fœneratorum.*

## IN TIT. XXXVII. DE POENIS.

Canif. lib. III. tit. 22.

## SUMMARI A.

1. Delinquentes ſecundum merita puniendi.
2. Pœna quid.
3. Alia eſt ordinaria, alia arbitraria.
4. Alia ipſo jure inferitur, alia per ſententiam judicis condemnatoriam.
5. Alia item civilis, alia criminalis.
6. Civilis vel judicialis, vel conventionalis, etiam jure Canonico licita.
7. Criminales jure Pontificio vel ſunt ſpirituales, ut conſura &c.
8. Vel corporales, non ſanguinaria.
9. Vel pecuniaria.

**D**elinquentes non ſolum in foro conſcientiæ tenentur, ſed detecto crimine per Judicem condemnandi ſunt in foro exteriori tam ad damni, quàm expenſarum reparationem, *cap. In noſtra penult. ſup. De injur. ac damno dato.* Quin etiam, quoties delinquant, pœnam ſubire debent, quam vel Canones huic aut illi delicto ſta-

tunt, vel ſi nullam expreſſè ſtatuant, pœnam Judicis arbitrariam, pro qualitate delicti inſtigendam, *cap. Dilectus filius* ut, h. tit. neque enim arbitrio locus eſt, quamdiu lex ipſa fungitur ſuo munere. Quæ interim ut magis nota ſint, dicemus primò, quid ſit pœna, & quomodo dividatur.

Pœnam igitur deſcribere licet, ut ſit afflictio ad vindictam criminis ſeu culpa impoſita. Afflictio, inquam, quæ quis punitur & premitur vel in corpore, vel in ſtatu ſuo, vel etiam in ære & bonis fortunæ, quæ pœna vocatur pecuniaria. Additur, ad culpa vindictam, eo quòd & hæc duæ conjunctim concurrere debeant: nam ſi aut culpa deſit, aut, culpâ concurrente, intentio vindictæ, afflictio non habebit rationem pœnæ. Prius patet in corpore vitiatis, in bigamis, & potiffimum in Judicibus juſſu legis, & ſic juſtè, ſanguinem effundentibus, qui quamvis præmio magis digni, quàm pœnâ, quodammodò tamen affliguntur, dum ab ordinum ſulceptione ſecluduntur.

Xxx ;

tut,

cur. *can. Aliquantos & ibi Glos 5, distinct.* Posterior  
verò in rei ablatæ restitutione, quæ & ipsa qui-  
dem afflictio quædam est, sed tamen pœna dici  
non potest, cum non ad vindictam culpæ per di-  
ctam rectæ rationis sit introducta, sed ut bo-  
num compensetur, quod culpâ restituentis parti  
læsæ est ablata, *cap. Si culpa De injur. & damno  
dato.* Et ne quis moram de verbis putet contro-  
versiam, permagni id refert, ac diversissimus se-  
quitur effectus, num quid per modum restitu-  
tionis, num per modum pœnæ debeat. Priori  
enim casu statim & ultro tenemur damnum re-  
parare, *d. cap. Si culpa*; posteriori non nisi post Ju-  
dicis sententiam & executionem, propterea  
quod lex humana, quæ semper æquitate nititur,  
neminem faciat executorem sui ipsius, ut nimi-  
rum simul agens sit & pœns, nullius etiam in  
præjudicium quicquam staret, nisi prius audia-  
tur, nisi se excusare aut defendere velit, *cap. Sus-  
ceptis vers. nos contra partem inauditam nihil possumus  
definire, sup. De causa propriæ & possess. cum defensio,*  
ut ait textus, ex naturali jure procedat, in *Clem.  
Pastoralis De sent. & re judic.* Unde & Pont. in *cap.  
Omn. secundum de heret. lib. 6,* quamquam hereti-  
corum bona ipso jure sint confiscata, non patitur  
tamen, ut si scis illa usurpet, nisi prius per Judi-  
cem Ecclesiasticum lata super crimine fuerit sen-  
tentia. Plures rationes in hanc rem (casum ex-  
communicationis semper excipientes) adducunt  
Dominic Soto, *De Iustitia & iure lib. 1, quæst. 6, art.  
6,* & Navarr in *Enchiridio cap. 23, n. 66.*

Hæc obiter de pœna, seu ejus definitione:  
nunc ut varietatem inspiciamus, præterquam  
quod pœna quædam ordinaria sit, partim a jure  
scripto, id est, lege vel Canone, partim a non scri-  
pto, id est, consuetudine statuta, *cap. Ad aures, cap.  
In quibusdam hoc tit.* (ubi & posteriores delinqua-  
tium usque ad quartam generationem puniuntur,  
nimirum pœnâ temporali Nam quod legitur *Fi-  
lius non portabit iniquitatem patris,* de æterna tan-  
tam modò pœna accipiendum est, *cap. Vergentis  
sub fin. sup. De heret.*) alia verò pœna arbitraria,  
seu pro Judicis arbitrio infligenda, *l. 3. D. & cap.  
Dilectus hoc tit.* \* Præterquam etiam, quod alia pœ-  
na inferatur ipso jure, simul atque delictum est  
commissum: quo casu dumtaxat opus est senten-  
tiâ declaratoriâ, *d. cap. Cum secundum;* alia verò ad  
præscriptum quidem legis vel Canonis, sed mi-  
nisterio Judicis infligenda, id est, per sententiam  
ipsius, ut vocant, condemnatoriâ, *cap. Ea qua  
frequenter & aliis multis hoc s.* \* Præcipua pœnarum

divisio est, quod alia sit civilis, alia criminalis,  
quæ sic differunt, quod illa sit inducta in gratiam  
privati hominis, qui læsus est, & cui ob id appli-  
catur, & in *summa Inst. de injur.* criminalis verò  
in gratiam Reipubl. quæ & ipsa delictis offendit-  
tur, ut nimirum sit exempli loco & ad terrorem:  
v. g. si commissio furto dominus læsus præter ex-  
pensas (nam regulariter victus victori condem-  
natur in expensis *l. Propterandum C. De judic.*) du-  
plum aut quadruplum rei ablatæ recipiat, pœna  
civilis erit: si verò fur supplicio afficiatur, aut ut  
Fisco pecuniariam pœnam solvat, condemnatur,  
criminalis.

Verum enim verò utraq; species tamquam ge-  
nus quoddam intermedium in suas species divi-  
ditur. Nam civilium pœnarum alia dici potest  
judicialis, quando nimirum Judex nocentem  
condemnat, ut injuriam passò privatim aliquid  
etiam ultra debitum præstet, idque vel ex præ-  
scripto legis, dum fur cogitur reddere duplum  
vel quadruplum, *d. s. in summa Inst.* De injur. Alia  
verò conventionalis, quæ, ut nomea indicat,  
ex partium conventionibus debetur, inter quas ita  
sæpè convenit, ut, si vel a arbitrio adversarius sta-  
re non velit, vel factum aliquid dictumve non  
præstet, certam pecuniæ summam loco pœnæ  
exsolvat, *c. Per tuas 9, sup. De arbitris, cap. Constitutum  
7, h. t.* ubi Pont. ait, quod si utraq; pars contra-  
ctum violaverit, neuter liquidò possit pœnam  
exigere, tamquam si tali casu fiat compensatio,  
eo quod in partem delicti, ut habet regula juris,  
melior sit conditio possidentis Ratio tamen du-  
bitandi movetur ex *c. Suam 9, h. t.* ubi qui stipu-  
latus fuerat pœnam in casum, quo adversarius  
ad certum diem promissis non steterit, & per  
hoc pœna jam commissa fuisset, prohibetur ta-  
men integram pœnam exigere. Verum eo ipso,  
quo vel pars ipsi conceditur, textus satis indicat,  
etiam jure Pontificio pœnam conventionalem  
esse licitam Ratio autem, cur non totam exigat,  
sed tantum modò partem, seu quanti ipsius in-  
terest promissum non fuisse adimpletum, ponit-  
tur a Pont. quod Ecclesiasticus, & præsertim  
Prelatus, modestior esse debeat, quam ut velit  
cum aliena jactura ditari, *d. c. Suam in fine & can.  
Fraternitas xii q. 2.* Quamquam res illa aliter sele-  
habeat jure civili, quippe quod ex actionem ro-  
tius pœnæ, etiam si nullum subit interesse, per-  
mittit: nam, ut ait Imp. *s. planè si quis Inst. De multi-  
lib stipulat.* in pœna conventionali non inspicitur,  
quanti interit alterius, sed quæ sit quantitas in-  
con-

conditione stipulationis, seu quâ partem partes convenerint, & proinde vult, ut promissor sibi imputet, quod promissa non impleverit. Quam rationem Canones non recipiunt, sed ut meliori & prædictæ cedant, jubent in d. c. *Suam vers. quia igitur*, qui cæteris paribus prævalere debent, præsertim ubi agitur de conscientia, juxta illud Justiniani, leges non dedignantur imitari sacros Canones. Hæc de conventionali atque adeo civili, cujus in instituto nostro rarior est usus.

7 Sed & criminalis pœna varias habet species: nam ut illas omittamus, quæ lege civili introductæ non solum in libris D. & Cod. sed etiam in rotis & crucibus passim exprimuntur, Jus quoque Pontificum, quamvis à sanguine abstinent, subinde in bonis corporis & fortunæ delinquentes punit. Porro primi generis pœnæ dici possunt spirituales, veluti tres censuræ, excommunicatio, suspensio, interdictum, de quibus posterius, irrogatio infamæ & ab honoribus seclusio, *san. Infames esse dicimus sacrilegos, & capitalibus criminibus intricatos, vi. quasi 1*, præsertim præcedente sententiâ, l. 1. c. l. *Nullam C. Quis ex causis irrog. infamia*. Denique & depositio, per quam ab ordine seu gradu Ecclesiastico & altaris ministerio quispiam semovetur, quæque alio nomine dicta degradatio dividitur in verbalem, quæ adtan te Clero per sententiam seu organum vivæ vocis ipsius Episcopi fit, & in actualem, quæ solemnitate, detractis vestibus & Clericorum insigniis, sicuti videre est in cap. *Degradatio hoc tit. lib. 6, item in Concil. Trident. Sess. 13, c. de ref. m.*

8 Secunda autem generis pœnæ vocantur corporales: nam quamvis Judices Ecclesiastici occidendo vel mutilando humanum sanguinem non effundant, c. *In Archiepiscopatu sup. De rapinibus cap. Sententiam sup. Ne Clerici vel monachi, &c.* non quasi genuina Ecclesiæ jurisdictio, ut apparet, per se & naturâ suâ sit incapax gladii materialis, præsertim si inspicimus Acta Apostolorum cap. 5, ubi mendacium & sacrilegium morte videntur punita; sed quod ita visum sit Spiritui sancto & Prælatis Ecclesiæ, ut nempe à pœna mortis & sanguinis perpetuò abstineant illi, qui sacris ministeriis mancipati, sacramenta pacis administrant, memores illius, *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*: quamvis, inquam, Jus Pontificum à sanguine abstinere, alijs tamen & variis pœnis non sanguinarijs delinquentes punit, nunc incidento crines & vestes, ut pudore

suffundantur, *san. De Benedicto xxxii. qu. 1*, nunc laqueum, quem circumferre debeat, injiciendo, *cap. Statuimus sup. De maledicis*, ubi blasphemia sic castigatur, licet hujusmodi pœnæ & similes à fore jam recesserint: Nunc vicissim virgarum verberibus illos castigando, aut alicui utili operi, ut ait textus, eos deputando, in *can. 1, xxiii. qu. 5*, qualia non desunt in irremissis: Nunc illos mittendo in exilium *cap. 1, sup. De calumnijs*. nunc etiam vel ad tempus vel perpetuò in carcerem illos includendo *cap. Super his h. r.* Quem modum affligendi in pane doloris & aqua angustia, *cap. Novimus & ult. De verb. signif.* colibentius Canones amplectuntur, quod non ad pœnam, sed ad reorum custodiam carcer peculiariter sit destinatus, *cap. Quamquam h. tit. lib. 6*. Denique post verbalem a sacris degradationem Judex Ecclesiasticus in monasterium detrudit delinquentes, *cap. Tua 6, h. tit. aut etiam post actualem & horrendam illam, quamquam rarij & non nisi ob gravissima delicta, Clericos incorrigibiles Curia seculari tradit, cap. Cum non ab homine sup. De jud. quo casu, propter periculum irregularitatis, Ecclesia intercedit seu protestatur, quod tantummodò intendat cautelam & emendationem, non pœnam sanguinis aut mortis periculum, ut ait textus in d. cap. *Novimus 2, De verb. signif.**

Porro tertii generis pœna rem familiarem respicit, nimirum pecuniariam, cujus impositio an penes Ecclesiam sit, vocatur in dubium propter textum, qui id videtur prohibere, in *cap. Licet 3, h. tit.* sed textus ille loquitur in primis de Archidiaconis, qui à laicis, in quos fortè jurisdictionem non habebant, & proinde nec facultatem delicta remittendi, denarios seu multam pecuniariam exigebant. Deinde prohibet ille textus, ne Judex Ecclesiasticus avarè & ad privatos usus id faciat. Nam quod, cæteris paribus, jure etiam Pontificio Prælatus, qui jurisdictionem exerceat, si Canones certam pœnam non expresserunt (quo casu tenebitur illam instigare, *cap. de causis sup. De offic. lud. deleg.*) multatate possit delinquentes pecuniâ partim Ecclesiæ applicandâ, partim pauperibus distribuendâ, parere ad oculum in *can. Si vos contra & ibi Glos. ad V. pecunie xxxii. qu. 1*, item in *cap. Presbyteri 2, hoc tit.* ubi homicidium compositione pecuniariâ remittitur.

## IN TIT. XXXVIII. DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBVS.

Canif. lib. II. tit. 6.

## S U M M A R I A.

1. Poenitentis iure Pontificio quatenus sit locus.
2. Poenitentia quid.
3. Sacramenti poenitentia causa efficiens, formalis, materialis.
4. Confessio sacramentalis quando, quoties, & à quibus facienda.
5. Secretum sigilli sacramentalis non revelandum.
6. Satisfactio poenitentia sacramentalis, ejusque species.
7. Remissiones sive Indulgentia quid, qui eas concedant, & quibus proficit.

**S**icut poena est quaedam laesio, quâ vindicatur publicè, quod quispiam in alium vel Rempublicam commisit, ita poenitentia, ut ait textus, est quaedam dolentis vindicta, privatim in se puotens, quod dolet esse commissum, *can. Poenitentia 2, dist. 3, de poenit.* Et quamquam hujusmodi afflictiones, veluti jejunium, peregrinatio, ab esu carniū vel lacticiis abstinētia, quæ peculiariter hic vocantur *poenitentia*, subserviant potissimum iudicio criminali apud forum conscientiae: sacri tamen Canones, ut benignius delinquentes emendent, etiam in foro exteriori non raro illis uruntur, *cap. Statuimus sup. De maledictis, cap. 2, sup. De foris leg.*

**S**ed ut plenior sit notitia, nomen ipsum *Poenitentia* in hoc instituto non eodem modo accipi sciendum est, sed interdum pro virtute seu actu interiori, quod dolemus de peccatis, ut offensus Deus placeat, *d. can. 3*, Interdum pro opere spiritali, quod per modum poenitentiae seu afflictionis à Sacerdote injungitur, veluti esus piscium sine pane, *cap. Licet & cap. Quaesitum h. t.* Interdum verò & frequentius accipitur pro ipso Sacramento, *cap. Quod quidam 5, & cap. Quod in te 11, h. tit.* quod jam baptizatis, sed naufragium passis, id est, posteaquam in delicta reciderunt, tamquam secunda tabula ad salutem necessaria subservit. Cujus efficiens causa est Deus ipse, seu Dei administer Sacerdos, munitus intentione hoc agendi quod agit, id est, serid cogitans, ut absolvat peccatorem, *cap. Si Episcopus h. tit. lib. 6*, Forma verò, ipsa verba per Ecclesiam praescripta, quibus ille uti-

tur in absolvendo. Denique materia, tres partes integrales, Contritio, Confessio, Satisfactio. Dicitur forè aliquis, quod Ecclesia etiam recipiat confessionem illius, qui necdum est contritus. Textus est in *d. cap. Quod quidam*, sed qui statim subjungit, quod hujusmodi poenitentia reverà non sit poenitentia; quamvis interim ad certos aliquos effectus confitenti prodesse possit, nempe ad mentis illustrationem, & ad poenitentiae diminutionem, sicut explicat Gl. in *d. cap. Quod quidam ad V. hujusmodi poenitentia: quam & ex professo explicat, & pro parte erroneam esse docet Covarr. ad cap. Alma mater De sent. excommunic. lib. 6, 17, Relect. §. 5, num. 12.*

Nunc ad confessionem quod attinet, illa quolibet anno ad minus seculum circa festum Paschae proprio Sacerdoti, id est, Pastori parochiae, cui subest, aut saltem ejus vicario, faciendae est à quolibet Christiano, usu rationis praedito seu dolica pace, ac proinde est praecipua, sive interim masculus ille sit, sive femina, qui jam satis intelligit se peccare. Elegans est decisio in *cap. Omnis utriusque sexus 12, h. tit.* ubi duo insuper notata digna subjunguntur: prius, quod qui hoc omittit seu facere negligit, ab Ecclesia ingressu sit arcendus, & si moriatur Ecclesiastica sepultura privandus. Posterior autem in §. *caveat ejusdem cap.* Nempe quod vicissim Sacerdos ab officio depositus in arctum monasterium, ut poenitentiam agat, detrudi debeat, si violet secretum sigilli sacramentalis confessionis, id est, si peccata confessione excepta quocumque tandem modo, sive verbo sive signo, revelet. Nam si sigillum secreti, quod extra confessionem ab amico commissum est, sine gravi delicto ac restitutionis obligatione violare non licet, quanto magis deest Sacerdotem Confessarium esse secretum, quocultissimo iudicio, & non ut homo, sed ut Deus, delicta cognoscit, *cap. Dilectus filius 13, sup. De excessibus Praelati.* Ut interim non dicamus, quod homines deterreat à confessione, quibus illam hoc suo facto reddit invisam, quodque Sacramento, cui reverentiam, ac religionem debet, revelando delicta, tamquam sacrilegus inferat injuriam.

Denique post contritionem & confessionem, restat

est tertia pars integralis Satisfactio, quam pro gravitate delicti & afflictione penitentis, Sacerdos tandem indicit, subinde solemniter, subinde publicè dumtaxat, sed frequentius privatim peragendam, *cap. Significavit 3, c. Quasium 7, cum cap. seq. h. s.* Unde & tres species resultant, nimirum penitentia solemnis, quam olim sub initio Quadragesimæ delinquentes, sacco induti, pulveribus aspersi, ac horribili modo foras pulsati peragebant, sicut textus refert in *can. incip. in capite quadragesima 50, dist.* Et quamquam hæc quoque, quia publicè fit (non nisi ab Episcopo imponenda, *c. Accedentibus, sup. De excessib. Prælator*) vocetur publica, propriè tamen, simpliciter & sine addito publica est, quæ quidem publicè fit, sed sine solemnitate, cuius mentio fit in *d. can. In capite* Porro huiusmodi penitentias, ut quis peregrinetur, ut ambulet lineis vestibus, ut corpus castiget, etiam inferior Sacerdos imponere potest, saltem pro gravioribus delictis, vel ut ad ulterio, filiorum oppressionem, præsertim si jam illa in publicum venerint, *d. cap. Quasium h. tit. can. Presbyter 28, dist. ubi. Glos. distinctionem hanc eleganter explicat.* Cæterum si occulta sint delicta, quamvis gravia, tertiæ speciei, quæ privata vocatur penitentia, locus erit, *d. cap. Quasium & cap. Officii 9, sub fin. h. s.* Hæc de prima.

Alteram verò pars Rubr. agit de remissionibus, quæ nihil aliud sunt quam penarum indulgentiarum. Quamvis enim per contritionem & confessionem crimen & culpa delinquentis extinguitur, remanet tamen ipsius culpæ (ut vocant) reatus, quem ob id corporali cruciari seu temporali penâ abstergere debemus, ut ait textus in *can. Si peccatum 82, de penit. dist. 1.* Jam verò circa huiusmodi penam versantur remissiones, seu indulgentia, quæ ob id nihil aliud est quam actus quidam graciosus, per quem afflictio culpæ seu penæ temporalis remittitur, originem habens ex thesauro Ecclesiæ, ut ait textus in *cap. Vnigenitus h. s. in Extravag. communib.* Sicut ergò lex civilis in foro criminali, etiam probato delicto, corporis cruciatum subinde remittit, eamque remissionem vocat indulgentiam, *l. Indulgentia, C. De generali abolit.* ita benigna mater Ecclesia penas vel hinc in terris, vel quas in purgatorio luere oportet, graciosè & ex causa subinde remittit, *d. cap. Vnigenitus*, idque per Prælatos suos, qui (cum Pont. ob plenitudinem potestatis, quidvis possit, id est, plenarias concedere indulgentias) si sint inferiores, sive Archiepiscopi sive Episcopi, non in plenitudinem potestatis, sed in partem sollicitudinis adsumpti, non nisi quadraginta dierum indulgentias concedunt, *cap. Cum ex eo 14, vers. Ad hæc & cap. Nostra h. tit.* Quinimò si Ecclesia à pluribus Episcopis consecratur, quo casu solent indulgentiæ concedi etiam à singulis, concessio tamen simul omnium ultra annum non debet produci, *d. c. Cum ex eo vers. Ad hoc.* Ne nimirum potestas Ecclesiastica, ut ait textus, vilescat, & homines, qui per indulgentiam sæpe sunt peiores, alienentur à satisfactione penitentiali. Postremò & illud addamus, quod Episcoporum indulgentiæ non proficiunt nisi illis, qui concedentur jurisdictioni subsunt, eo quòd Iudex Ecclesiasticus non magis quam secularis excedere possit suam jurisdictionem, id est, aut in alieno territorio, aut jus dicere sibi non subiectis, *l. ult. D. De iuris c. Quod autem vers. cum à non suo Iudice nemo ligari valeat vel absolvi h. s.*

IN TIT. XXXIX. DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Canif. lib. III. tit. 23.

SUMMARI A.

1. Excommunicatio quid.
2. Soli Ecclesia competit.
3. Excommunicatur solus Christianus.
4. Excommunicatio in quo distinguitur à cæteris censuris.
5. Communio quotuplex.
6. Excommunicatio alia maior, alia minor.
7. Minor quid operetur.

8. Quid maior.
9. Alii effectus maioris excommunicationis.
10. Excommunicatio alia est juris sive lata sententia, alia iudicis sive sententia ferenda.
11. Excommunicatio quando & qualiter inferenda, remissivè.
12. Quibus casibus cum excommunicato communicare liceat.
13. Quibus casibus absolutio ab excommunicatione pertinet à S. Pontifice.

Yyy

Postea

**P**ostremo loco nunc agit de excommunicatione, quæ una ex tribus censuris, ut vocat Pont. in cap. *Quarenti* 20, inf. *De verb. signif.* inter pœnas spirituales est durissima, animam delinquentis velut occulto quodam gladio penetrans sed quoniam admodum latè sese extendit, brevi quadam circumscriptione naturam ipsius, effectum, & latitudinem complectemur.

**1** Est igitur *Excommunicatio Censura* ut plurimum *Ecclesiastica*, quæ quis separatur à communione Christianorum, idq; iuris dispositione, vel ab homine Censura, inquam; nam hoc velut genus definiti ipsi commune est cum duabus aliis, nimirum suspensione & interdicto d. cap. *Quarenti*, nempe in quantum vox ipsa accipitur, non pro munere, seu dignitate censoris, juxta illud,

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas;*

sed pro correctione seu sententia pœnali, quam qui capax est ordinis, mediante jurisdictione, profert. Propterea adiecit ut plurimum, quod subinde minor excommunicatio, quando non profertur in foro exteriori, sed vel sibi ipsi illam quispiam infligit, vel certè Confessarius, non habeat rationem censuræ, c. *Si quem penult.* & ibi *Glos. b. t.*

**2** *Ecclesiastica*: hanc enim excommunicationis censuram peculiariter Ecclesia sibi vindicat. Et ideo si fortè censor seu Judex secularis quempiam separet ab hominum cœtu sive consortio, quamvis nominis ratio non relinquatur, talis tamen separatio excommunicationis rationem non habebit.

**3** *Quæ quis*, id est, homo, non quilibet, sed Christianus: nam pagani & infideles, qui foris sunt, eo ipso, quod numquam fuerint admissi, non possunt à communione separari, propterea quod privatio semper præsupponat habitum, c. *Sicut exliverarum sup. De homicidio l. Borem § ult. D. De adul. edito.*

**4** *Separatur*, directè nimirum: hæc enim est propria differentia, per quam excommunicatio distinguitur à cæteris censuris, hoc est, quod excommunicatio directè quempiam separet à communione; suspensio ab usu potestatis, id est, officii vel etiam beneficii. Denique Interdictum directè quem privat Sacramentis, divinis officiis & sepulturâ Ecclesiasticâ. Verum quidem est, quod excommunicatio eo ipso, quo quem privat communione, eundem etiam separet à Sacramento, uti etiam suspensus à divinis officiis, sed quoniam indirectè hoc facit, & per consequens, quatenus nimirum Sacramenta subserviunt com-

munioni tamquam species, & divinum officium exercitio potestatis, aut etiam communioni, formalis seu per manet censurarum distinctio.

*Communione Christianorum*: pro parte nimirum, vel in totum. Quod ut palam fiat, sciendum est, quod duplex vel omnino triplex sit communio: nam ut illam omittamus, quæ interius per charitatem in Christo nos efficiens velut unum corpus, secum trahit communem suffragiorum influxum & à qua nos separat mortale crimen, altera communio est politica seu temporalis, per quam Christiani exterius fruuntur communi colloquio, convictu, & commercio, quæ parte nimirum cives sunt; altera verò ea, quæ potior & spiritualis, per quam quam cives, quæ parte Christiani sunt, fruuntur communibus suffragiis seu precibus, Sacramentis, ac divinis officiis.

Nunc verò quia contingit quempiam subinde separari à communione spirituali, subinde verò à spirituali & à politica; celebris illa resultat divisio, quod quædam excommunicatio dicatur major, quædam minor d. cap. *Si quem h. tit.* ubi asseritur, quod si quis sine speciali expressione excommunicetur, hoc ipsum, ut analogum stet pro famulo significato, accipi debeat de majori excommunicatione, cum tamen regula juris dicat, quod in pœnis benignior sit facienda interpretatio, c. *In jans De R. l. in 6.*

Excommunicatio minor est, quo quis separatur à communione Christianorum quoad Sacramentorum participationem, in quorum privatione potissimum consistit, d. cap. *Si quem*; eo quod sic excommunicatus nec ab exteriori conversatione, nec ab aliis officiis, quæ communiter sunt secludatur.

Excommunicatio verò major (quæ ut plurimum etiam, sed tunc peculiariter vocatur Anathema, quando scilicet solemnè ritu & per modum execrationis cujusdam infligitur, uti textus refert in can. *Debeat xi. qu. 3.*) multis modis affligit delinquentem. Præterquam enim quod declarat illum gratiâ Dei excidisse, & à mystico Christianorum corpore separatam, secludit etiam non solum à communione spirituali, seu participatione Sacramentorum tam activè quam passivè, hoc est, ut jam nec ipse accipere, nec aliis illa administrare possit cap. *Si celebrat ult. sup. De Clerico excom. minist. can. Engelvudam xi. qu. 4.* sed etiam à politica communione, ut jam nemmo

cum

eum eo colloqui, preces effundere, nemo salutare, aut cum iplo habitare, nemo etiam operari, aut denique eum eo bibere vel comedere possit; id quod Glof. in c. *Statuimus h. tit. lib. 6.*, tali versiculo expressit,

*Os, Orare, Vale, Communio, Mensa nogetur:*

saltem extra casus, qui partim in c. *voluntate 54.*, ubi excipitur salus animæ, partim alibi h. t. exprimuntur.

Sed ut omittamus, quod hæc excommunicatio, pro subiecta materia subinde secum trahens infamiam, priver hominem tam facultate conferendi & obtinendi beneficia, si iustus que eorum dem percipiendi, cap. *Postulatis 7.*, De clerico excommunicato, cap. *Pastoralis 5.*, §. *verum sup.* De appellationibus quam potestate eligendi activâ & passivâ, cap. *Constitutis 40.* De appellat. quod efficiat, ut in causa criminali habeatur pro confesso, qui per annum in ea perseverat, seu, ut ajunt, infordebit, can. *Rursus 37.*, & can. *Quicumque seq. xi. qu. 3.*, quod subditos ab onere servandi seu juramento fidelitatis absolvat, can. *Nos sanctorum, can. Iuratos milites xv. qu. 6.* Denique quod multa alia incommoda passim Canonibus expressa secum ferat: illud vel maximum damnum est, quod non solum divinis & privatorum precibus, sed etiam generalibus Ecclesiæ suffragiis delinquentem spoliat hæc excommunicatio, qui ob id peculiari quadam ratione à diabolo dicitur possideri, can. *Audi 21.*, & can. *Omnis 32.*, xi. *quasi 3.*, tamquam si diabolus liberius ac veluti ad libitum poterit illum nunc torquere: id quod de cæteris peccatoribus perinde dici non potest, utpote qui saltem per fidem mystico corpori ad hæreticos, precibus aliorum membrorum eo sine juvantur, ut in viam redeant, cum interim nemo pro excommunicato, saltem publice, possit orare. Ex quibus jam satis constat, quod quamvis excommunicatio interdum vocerur medicina, nimirum ex parte affligentis, qui cupit curare, pœna tamen sit respectu delinquentis, inter pœnas spirituales gravissima cap. *Cum medicinali 1.*, hoc tit. lib. 6.

*A iure vel ab homine* His verbis altera quædam divisio insinuat, à modo infligendi desumpta, quod nimirum quædam excommunicatio inferatur à Jure seu à Canone, quæ ob id dicitur læ sententiæ: etiam si subinde, dum crimen non est publicum, sit opus sententiæ declaratoriæ, per quam non excommunicatur delinquens, sed declaratur à Jure tam esse excommunicatus, cap. *Cum non ab homine 10.*, sup. De iudicis, cujus insigne

exemplum habemus in can. *Si quis suadente diabolo xvii. qu. 4.*, Alia verò inferitur ab homine, seu à Judice, dum vel specialiter certam personam excommunicat, vel generaliter omnes, qui hoc aut illud fecerint, aut etiam omiserint, cap. *A nobis 21.*, h. tit. cap. *Ut animarum 5.*, *statuto sup.* De constitut. lib. 6.

His ita breviter positis, restaret dicendum, quænam excommunicatio sit iusta, quæ iniusta, subinde tamen timenda, quibus de causis & quâ formâ infligatur, can. 1, xi. qu. 3, cap. *Sacro 48.*, h. t. ubi deciditur, quod non nisi post trinam admonitionem in scriptis & ob gravem offensam excommunicatio inferri debeat; magnâ etiam pœnâ propositâ Prælati, qui non amore justitiæ, sed odio personarum censurâ tam horrendâ utuntur. Item Concil. Tridenti multa super hoc juris articulo salubriter definiens Sess. 25, cap. 1, de reform. etiam statuit, quod contra eos, qui per annum in excommunicatione infordeant, tamquam suspectos de hæresi, procedendum sit.

Denique præter alia dicendum foret, quod communicans seu commercium habens cum eo, qui majori excommunicatione irretitus est, incurrat minorem, c. *Nuper 29.*, h. t. saltem extra casus, qui insinuantur hoc versiculo,

*Vtile, Lex, Humile, Resignata, Necessè,*

per Glof. in cap. *Cum desideres 15.*, h. t. *Vtile*, v. g. si utiliter quis quarat salutem ipsius, d. cap. *Cum voluntate 6.*, cap. *Si verò 34.*, h. t. *Lex*, id est, si lege conjugii teneatur, velut uxor, cap. *Intra alia 31.*, h. t. *Humile*, id est, si subjecti fiat, ut filii vel ministri *Resignata*, id est, si quis non affectatâ, quâ quis nescire studet, quæ scire debet, nec crâsâ aut supinâ, quâ quis nescit, quod omnes sui ordinis scire debent, sed ignorantia justâ labore, quam nos vocamus probabilem, Theologi invincibilem, d. cap. 15, in *V. scienter h. t.* & cap. *Sicut dignum 6.*, §. *illis præterea sup.* De homic. Denique *Necessè*, id est, v. g. si pauper sit & aliter stipem, ut vivat, obtinere non possit, can. *Quoniam multos 103.*, xi. qu. 3. Sed quoniam compendium sequitur, consulemp Navarrum in *Enchiridio c. 27.*, id fusius explicantem.

Illud interim non præteribimus, quod interdum excommunicatio major (nam à minori qui liber Sacerdos absolvit) tam malignantis sit naturæ, ut non nisi à summo Pontifice ejus absolutio possit obtineri; sicut in primis videre est in Bulla, quam vocant Cœnæ Domini, multis casibus, & extra illam in can. *Nulli 19.*, dist. ubi Ro-



nam coguntur ambulare, qui transgressores Canonum negant Pontificem jus eos condendi habere: item in c. *Ad falsarium* 7, De crimine falsi, ubi falsarii, & in cap. *Tu nos* 19, ubi incendiarii, mittuntur Romam sed ne singulos recenseam, quos dabit lectio, casus reservatos in cap. *Dura sup. De crim falsi cap. Significavit h. tit. cap. Felicit De pœnis lib. 6, Clem. 1. §. verum De heret. & alibi, unum illum præ reliquis exprimemus, quo quis in d. can. Si quis suadente manus violentas injicit in Clericum, non causâ disciplinæ, nec ex officio aut jussu superioris, sed maligno spiritali: is enim à nemine potest absolvi quàm à summo Pont. c. 1, c. *Non dubium h. tit. aut saltem ab ejus Legato à latere, cui ob dignitatis splendorem Pontifex id**

videtur commississe, cap. *Ad eminentiam* 20, c. *Quod de his* 26, h. tit. nisi forte aut in mortis articulo, Clem. *Cupientes de pœnis, Conc. Trid. Sess. 14, cap. 7,* ubi in articulo mortis cuilibet Sacerdoti quovis pœnitentes absolvendi facit potestatem; ad eam, nisi alia causa sub sit, veluti pauperatis, senectutis, infirmitatis Quibus tamen casibus si Episcopus veluti ad cautelam excommunicatum absolvat, ante absolutionem duo debent jurato promitti, & quod in posterum tale facinus non perpetrabit, cap. *Ex tenore* 10, & quod primâ occasione, ubi justum impedimentum cessabit, absolvendus à Pont. Romam ibit, cap. *Mulieris* 6, c. *De cetero* 11, h. s.

## IN TIT. XL. DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.

Quæ tam hoc quàm sequenti Tit. traduntur, ad totius Juris artificium referuntur. Nam cum ad quamvis Juris partem cum rebus verba concurrant, quid commodius coronidis loco ponere potuit, quàm significationes verborum ac rerum definitiones seu regulas? Ad prius itaque quod attinet, quoniam verba menti subserviunt & intentioni, non intentio verbis, quando de mente legislatoris constat, de verbis non debemus esse solliciti, cap. *Intelligentia* 6, c. *Nihil obsistat* 7, h. tit. Quando verò non satis liquido constat, ne tunc quidem proprietati verborum semper & mordicus inhaerendum est, quippe quæ subinde vel improprie sumuntur, ut vendere pro locare, dare pro tradere, l. *Verbum D. h. tit. vel per usum, penes quem norma loquendi, in*

alium sensum traducatur, l. *Cum lanionis* §. *asnam D. De fundo instructo leg. vel denique per interpretationem ad alias res similes transferuntur, ut vocula quis etiam ad faminas, sicut ait Ulpianus in l. 1, D. eod. Sed si non constet, tunc vel legislator pro interpretatione interpellandus est, cap. *Olim* 16, h. t. vel ex circumstantiis & adjunctis sensus ille arripiendus, qui videtur verisimilior atque intentioni profertentis magis vicinus, d. cap. *Olim* & cap. *Quarenti* 26, h. tit. Breviter verborum sic satis exacta haberi debet ratio, sed non tanta, ut veritatis sensus amittatur, cap. *Propterea* 8, h. t. Proinde etiam si sint ambigua, in aliam significationem potius accipienda sunt, ut aliquid operentur, quam ut res subiecta pereat, cap. *Abbas* 15, vers. *Hic autem* h. t.*

## IN TIT. XLI. ET VLT. DE REGVLIS JURIS.

Hæc de verbis: nunc ut magis exactè velut uno fasce comprehendat omnia, aut saltem pleraque in corpore juris prius posita, de rebus, tradit Regulas, quæ nihil aliud sunt, quàm multarum rerum jure definitarum velut in vnam collectæ narrationes, seu brevitariae ac rationes, causarum decisioni, quæ eandem habeant æquitatem, subservientes. Nam cum facta seu casus in civili politia infiniti sint, & indices novi emergant, ideoque difficillimæ comprehensionis, l. *Non possunt* & l. *seq. D. de legib. operæ*

pretium fuit, certas definitiones seu axiomata, & ut Medici vocant, Aphorismos constituere, quibus summam quod de rebus in jure constitutum est explicatur. Exemplo res fiet clarior: communis illa Reg. *Qui prior est tempore, potior est jure*, quid aliud in se continet quàm causam & rationem, cui ille, qui daobus dominis locavit operam suam, cogatur interservire priori, l. *In operis D. Locati*? Cur qui aliis vigilantior pro obtinendo beneficio prius impetravit rescriptum, si cetera sint paria, debeat præferri, c. *Si duobus*, cap.

*si pro de rescriptis lib. 6.*, quod in literis eorum, qui postiores sunt, semper in sit mica salis seu vulgaris clausula, *Nisi pro aliis jam prius rescriptis*. Cur etiam ille, cui in pignore prius jus quaesitum est, praecedere debeat alios? Postremo, ut infinitos articulos omitteremus, qui qui duos equos legavit, alterum Titio, alterum Sempronio, Titius meliorem possit eligere, quippe qui primo loco fuit nominatus, *l. Qui duos D. De legatis 1.* Tantam enim temporis majores nostri voluerunt haberi rationem, ut lites & contentiones e medio tollantur.

Sed tamen quia generi, juris dispositione, derogatur per speciem, *l. In toto D. h. i. sit.* ut huiusmodi axiomata seu definitiones dicantur esse periculosa, quod suis definitis seu sub eo contentis ut plurimum adaequatè non respondeant, *l. Omnis D. eod. l. 1. D. De furtis.* Nam facilè, si ostendatur ratio, cur in hac vel illa specie regula locum habere non debeat, locum cedit ac veluti exceptione repulsa vim & officium suum amittet, *l. 1. in fine D. eod. v. 2.* non obstant eadem regulà, *Qui prior est tempore, sifcus* (quem tamen Trajanus licenti comparabat, quod dum lien intumescebat, cetera membra extenuentur) quia nervus

belli est & pacis, si tantummodò agatur de damno vitando omnibus creditoribus etiam tempore prioribus praefertur, *l. penult. C. de prempilo:* ut & mulier in dote, quod expediat Reip. mulieres non esse indotatas, quae ratio tamquam magis urgens prioritati temporis derogavit. Pari ratione ceteris praepositur, qui mortuum sepelivit, dum repetit impensas funeris, eo quod inter sit Reip. corpora defunctorum non manere insepulta, *l. 1. D. De religiof.* Exiguum nunc restat dubium, si tanta vis & utilitas in Regulis juris sit posita, cur in principio hujus operis Pont. illas non expressit, praesertim cum à principiis incipiendum sit. Sed cum singularia sensu sint notiora seu confusa, ut loquatur, notitia, & que liberum fuit Pontifici, non ordinem naturae, sed disciplinae sequi, qui crassiora prius contemplatur. Ut interim non dicamus, quod in praecedentibus decisionibus ad ipsam probationem passim haec axiomata citentur: quae tamen non inutiliter hic repetuntur, partim ut memoria refrenentur ac tenacius inhaereant, partim ut discamus, quod Jus non nascatur ex regulis sed ex Jure prius existente regula trahat originem, ut ait Paulus in *l. 1. D. hoc tit.*

# HENRICI CANIS I.

NOVIOMAGI J. C.

## COMMENTARIUS

IN TIT. DE REGULIS JURIS LIBRI VI.

DECRETALIUM.



Ujus Tit. auctor est Bonifacius VIII. Summus Pontifex, quem ideo postremo loco subiecit, ut ea, quae prioribus Titulis sparsim per singulas species tradita sunt, in regulas quasdam, veluti brevissimas notas, conjiceret: imitatus nimirum libros Pandectarum, in quibus & post omnium tractationem, Tit. de Regulis juris ultimus annectitur, tamquam priora omnia in brevissima capita conferens. Unde & Regula à Paulo J. C. *l. 1. D. hoc tit.* ita describitur, *quod rem, qua est, breviter enarrat, non ut ex regula jus sumatur,*

*sed ut ex jure, quod est, regula fiat.* Per Regulam igitur brevem rerum narrationem in unum coactam intelligimus, ut, quod in singulis rebus juris est, per eam breviter demonstratur. Ut, exempli gratia, cum alibi traditum esset, Perjurum ad dicendum, testimonium minimè admittendum esse, propter suspicionem perjurii, *cap. Testimonium 54. ibi, praterquam pro reatu perjurii. De testib. juncto can. Parvuli xxii, qu. 5. C. can. Non potest 1, quast. 7.* item marito saevienti non esse facile restituendam uxorem ab eo digressam, propter metam saevitiae, *cap. Literas 13. in fine De restitut. spoliator.* item semel negligentem non posse rem rursus iterum committi, *cap. Scribam 9. De*